PAULI VOET J. C.
AC
Philoſophiæ in Academ.
Ultraj. profeſſ. Ordinarii.

DE

DUELLIS,
LICITIS & ILLICITIS,

Liber Singularis.

Denuò recuſus & a mendis expurgatus.

BRUGIS,

Typis *Andreæ Wydts*, Bibliopolæ nec
non Civitatis Typographi.

M.D.C.C. XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI

WILHELMO NASSOVIO,

Celſiſſimi Principis HENRICI FRIDERICI NASSOVII, *Dei Gratia Principis Arauſonienſium &c. ſupremi in Belgio fœderato Præfecti & Imperatoris, Filio, Hæredi, & deſignato ſucceſſori.*

ATernitati Nominis Celſitudinis tuæ hunc meum inſcriptum volui libellum, tum quia de duellantium agit grege deplorando, tum quia Celſitud. tuæ curæ eſt, legibus militaribus in exercitu prævenire nocitura. In omnem hoc præſtitit

eventum oculo providenti Celſitud. tuæ Celſiſſimus Parens. Qui edito antehac edicto ſapientiſſimo conatibus obſtitit nobilium, & heroum militarium, in dies ſingulari certamine mutuo provocantium. Ejus, ſecundus poſt illum Imperator ſequeris veſtigia, & quod fauſtum Deus eſſe velit, annorum progreſſu, aſſequêris. Animos noſtros ad hoc erigunt quam plurima.

In incunabilis vagiens Ill. ac præpot. Feder. Belg. Ordinum, ut & militum fidei eras commendatus; quem ea propter omnes tanquam ſolem orientem ſuſpiciunt, venerantur.

Cunis derelictis patriis in armis es enutritus, inter militares ſocios educatus, certum omen deſignandi Imperatoris. Jam cum gaudeas titulo ſucceſſoris deſignati, Celſiſſimo Parenti te dignum præſtas, totque Illuſtribus Naſſovicæ familiæ Predeceſſoribus, quorum nomina

per

Digitized by Google

per tui nominis celebritatem amplius immortalitate donabis. Ea quippe ætate es, qua rari judicio firmato, ea tamen prudentia, ut annos antevertiſſe deprædicandus venias. Nec deeſt conſultis tuis executioni mandandis aut fortitudo, aut animus; in tantum, ut metuendum ſit, ne dum pro patriæ incolumitate noctes dieſque, non ſine maximo tuo periculo invigilas, fatale quid (avertat Deus) eveniat.

Vive diu, vince feliciter, & fata militum tuo ductu in reipublicæ ſalutem cum Deo poſſe dirigi, demonſtra.

Celſitud. tuæ devotiſſ. cliens

P. Voet.

Summa totius

LIBRI.

DE duellis acturi, non recenſebimus ferarum inter ſeſe commiſſiones, quas nonnulli ad duellorum referunt ſpecies; verum tantum illa quæ inter homines ſuſcipiuntur, enarrabimus.

Duellum igitur nobis erit, Certamen duorum de victoria, citra formam belli decertantium.

Eſtque aut ludicrum, aut ſerium. Ludicrum, quod inter ſocios amice ſuſcipitur, ad corporis & animi vires aut oſtentandas, aut exercendas.

Et ſuſcipitur aut gloriæ cauſa, aut exercitii ſeu utilitatis gratia.

Gloriæ cauſa duellum initur, cum virtutis & honeſtatis cauſa inter ſeſe non è vulgo committuntur homines. Talia ſunt, haſtiludia, torneamenta, curſus ad annulum, &c.

Exercitii ſeu utilitatis duellum ſuſcipicur, quando corporis & animi vires ad militiam exer-

Digitized by Google

exercitiis bellicis præparantur, & idoneæ redduntur.

Duellum ſerium eſt, quod inter partes obtinet, animo hoſtili concurrentes, donec alterutra aut vulnere aut morte ſit inferior.

Habetque locum aut in judiciis, aut extra judicia.

In judiciis, quando auctoritate, aut licentia judicis, ad litis ac controverſiæ deciſionem, deficientibus plenis probationibus, litigatores ea contendunt conditione, ut ille juſtam præſumatur habere cauſam, qui certando victor evaſerit.

Extra judicia duellum locum habet, quando partes citra judicis auctoritatem pugnam capeſſunt.

Idque aut utilitatis gratia, aut virtutis ſeu gloriæ, aut oſtentationis, aut defenſionis.

Utilitatis gratia, quando propter ſalutem patriæ partes ſeſe committunt, aut committuntur.

Virtutis ſeu gloriæ cauſa, quando duo ex condicto pro nationum contendunt virtute.

Oſtentationis gratia, cum laniſtæ ad veruum & artis oſtentationem in certamen ſtrictis deſcendunt mucronibus.

De-

Summa totius Libri.

Defenſionis gratia, quod ad aliquid propugnandum, aut propulſandum ſuſcipitur.

Et fit aut propter corpus, aut bona, aut honorem.

Propter corpus, quando quis aut ſui, aut alterius integritatem, & incolumitatem, adverſus quemlibet impetum injuſte facientem propugnat.

Propter bona, quando quis ad jus ſuum vel res propugnandas cum earumdem raptore aut invaſore manus conſerit.

Propter honorem, quando quis injuria affectus, honorem ſuum privata auctoritate vult vindicare.

DE

Digitized by Google

DE
DUELLIS
LICITIS ET ILLICITIS,

CAPUT. I.

Quid Duellum?

DUellum, neutrius generis vocabulum, diverſæ ſignificationis, à fæminini generis voce *duella*. Hanc faciunt duo ſolidi, quam vulgo *dublam* appellant; illud, duæ partes de victoria utrimque contendentes. Olim *duelli*, nomine omne veniebat *bellum* quod in eo duæ partes confligerent. *Horat. Græcia Barbariæ lento colliſa duello.* & *Cicer. de leg. duella juſta, juſtè gerunto.* Et *bellum* antiquitus dictum, tanquam *duellum*, ut *bonum*, tanquam *duonum*, *bidens*, ac ſi *duidens*, bis, tanquam

quam *duis*, originatione tum temporis uſitatiſſima. *Feſt. de verbor. ſignif.* Hinc *Duellona* eadem quæ *Bellona*, *duellum*, quod *bellum*, *duellicus. Varr. lib. 4. de ling. lat. Lucret. rerum nat. l. 2. v. 27.* Unde etiam *perduellis* dictus ille, quo cum eſt *duellum*, id eſt *bellum*. vel uti dicit *Feſtus*, *qui pertinaciter retinet bellum*.

Etſi autem ratione originis, *duelli* nomine veniat omne bellum; nobis tamen erit propoſitum illud explicare citra omnem belli proprie dicti formam, intellecturi tantum certaminis hoc genus, quod Græci monomachiæ inſigniunt nomine. Circa ejus definitionem, aut ſi mavis deſcriptionem, varii varie diſſentiunt. Eſt realis aliquando conflictus, non tamen aut prælium, aut bellum, aliquando umbraticus, nequè ideo minus duellum.

Antequam autem deſcriptiones aliorum examini ſubjiciamus ac cenſuræ, notandum venit duellum aliquando in genere accipi, pro quocunque certamine duorum, ſive licito ſive illicito ac legibus prohibito. Aliquando in ſpecie, pro ſingulari pugna inter duos deliberatâ, ad veritatis probationem, vel crimi-

nis

nis purgationem. De quâ ſpecie loquitur jus canonicum *can. 2. de purgat. vulg.* Ubi illa refertur ad vulgaris purgationis ſpecies, in qua victor purgatus, victus pro convicto habebatur, quam ſpeciem plerique intelligunt caſuiſtæ, quando loquuntur de duello. Ut videre eſt apud *Azor. inſtit. moral. part. tert. lib. 2. c. 5. Tholoſan. Syntag. jur. libr.* 48. *c.* 16. *Fragoz. part.* 1. *lib.* 1. *diſp.* 2. *Regim. Reipubl. Chriſtian.* fuit enim duellum primario inventum, ad veritatis indagationem, ac probationem, hic finis duellantium, hic ſcopus erat. *Hoſtienſis, in Summa, de Clericis pugn. in duello.* Proinde quando de veritate conſtabat, non erat duello locus, in defectum aliarum probationum ſolùm adhibito. *Bald. in l. cum filius final. D. leg.* 2. Generalius vero hic de duello agendum erit, quam ut probationi vulgari ſolum applicari poſſit.

Bocerus lib. de duell. c. 1. tum demum locũ obtinere cenſet duellum, quod in genere deſcribit, cum pugna non eſt auctoritate ejus, qui imperator eſt exercitus, indicta, aut cum non eſt cauſa de legitima inchoata. Verum male. Neque tot gentium

tium domitor Magnus ille Alexander ideo duelliſta dicendus, quia cum multis populis inivit pugnam, ea non rite in anteceſſum indicta. Neque latrones duellones vocandi, qui intutum ac infeſtum reddunt mare, qualis ille ab Alexandro interceptus, quales hodie pyratæ Belgæ, Turcici, quia ſine juſta cauſa, ſine auctoritate ac mandato ducis, naves oppugnant mercenarias, & expugnant.

Johannes de Ligna in tractatu de duello, illud deſcribit per capitalem pugnam deliberatam hinc inde duorum ad purgationem vel gloriam. Verum hæc deſcriptio non tam omne duelli continet genus, quam quidem potiſſimas ejus ſpecies. Quid ſi etenim laniſtæ ad artis exercitium gladiis concurrant non aculeatis, aut etiam mucronibus lucentibus, ita tamen ne ultra vulnera procedant, aut lethalem infligant plagam; quemadmodum Commodum imperatorem cum gladiatoribus in arena depugnaſſe refert *Herodian. lib.* 1. ? Certe duellum hoc erit, & contentio inter partes oppoſitas: nullum tamen hic odium capitale, aut inimicitiæ capitales.

pitales. Etiam duellum eſt, ſi viatorem in itinere aggrediatur latro, ſi duo ex improviſo, in ſe mutuo incurrant, aut nocturno tempore, cœlo tenebricoſo pars in adverſam irruat partem. Nulla tamen hinc inde deliberatio, nulla intentio, ſed quicquid geritur ex improviſo geritur, non deſtinato confligitur animo, ſed caſu aut infortunio. Neque ſi loco deſignato, tempore indicto, duo ſe mutuo adoriantur, temeritate aut levitate ſolum moti, aut ut animum oſtendant ſuum, ut uſu evenire videmus, dicendi ſunt hoc agere ad purgationem, & tamen ſingulare eſt certamen. Neque etiam ad gloriam. Quæ etenim iſta erit gloria, ex contentione ac litigio, levi de cauſa, provocatum ſequi provocantem? Ab hâc Lignani deſcriptione parum recedit illa *Eligii Baſſæi in floribus Theolog. p.* 264. Cui duellum dicitur, *pugna ſingularis deliberata ab utraque parte, ſponte & ex condicto ſuſcepta, cum periculo occiſionis, vel mutilationis, aut vulneris.* Quam definitionem etiam retinet *Bonacina Tom.* 1. *fol.* 597. *num.* 2. *& ſeq.* Verum dicendum iſthoc modo duelli vocem nimium coarctari, cum exclu-

dantur

dantur omnia duella ludicra, qualia ſunt haſtiludia, enſiludia, torneamenta &c. Etiam illa, quæ à judice partibus non petentibus imponuntur, quæ tamen eſſe duella, tam certum eſt, quam quod certiſſimum: cum finis eorum ſit veritatis indagatio, ac litis determinatio. Denique nec loci aſſignatio certa, nec tempus indictum ſunt rationes formales duelli, cum etiam qui ſe mutuo ſtante pede provocant, ad pugnandum invitant, ſtringunt gladios, vere duellantes ſint vocandi. Sponte quippe ſuſcipiunt duellum, non coacte, ac conſentiunt in duello, tum temporis deliberato. Quod autem Moraliſtæ in duello requirunt aſſignationem temporis, cum determinatione loci ſecundum bullas Gregorii 13. & Clementis 8. non tam requirunt, ut duellum ſit duellum, quam quidem ut incidere dicantur duellantes in pœnas pugnantibus in duello propoſitas, quæ ſi abſint pœnis eximuntur ordinariis, & extra ordinem puniuntur. Itaque poteſt eſſe duellum quod pœnam non meretur, ſed veniam, in quo conſequenter iſtæ loci ac temporis conditiones, non ſunt neceſſariæ, tantum requiſitæ ut pœna

locum

Digitized by Google

locum habere poſſit. *Elig. Baſſæus p.* 264. *art.* 2. *&* 9. *Barboſa in. collect. ad concil. trident. ſeſſ.* 25. *ſuper reformat. c.* 19. *a.* 7. 8. 9. *&c.*

Non etiam duello applicari poterit illa definitio, *Vaſq. lib.* 1. *contr. illuſt. c.* 11. *n.* 36. qua dicitur, *ſingulare certamen, aut pugna, æquis legibus dimicantium.* Præterquam enim, quod non omne duellum, aut ex pacto, aut mutua oriatur voluntate, ut quando nobis faceſſit negotium ſicarius; etiam non omne duellum, mutuo conſenſu initum, æquis ſit conditionibus, quid ſi enim nimia ſui confidentia quis pugione provocet, cinctum gladio? quid ſi de iniquo loco, ac inæquali cum adverſario ſuo depugnet? quid ſi equites ſingulare ineant certamen, ac alterutrius equus minus exercitatus, ad curſum & recurſum, minus formatus? ideone duellum eſſe negabitur, quia forte inferior, & iniqua alterutrius eſt conditio.

Nobis igitur iſta placet deſcriptio: *Duellum eſt, certamen duorum de victoria, citra formam belli decertantium. Tholos. com. Synt. artis mirab. lib.* 3. *c.* 4. Quæ fere eadem cum Feſti deſcriptione in voce

voce *duellum*. Neque amplectimur Boceri ſententiam, ſtatuentis duellum eſſe certamen *duarum partium*, *quia plures utrinque pugnam committere poſſunt*. Duorum enim propriedicitur, ut & antiquitus à duobus primum eſt vocatum, quia inter duos tantum erat bellum. *Scalig. re poët lib*. 3. *c*. 89. Et licet multi ſint ab utraque parte, quod etiam non ſemper, aut ut plurimum! duo tamen ſunt, qui primo aut occaſionem dant certaminis, aut pro reliquis decertant. Quique capita ſunt conflictus, quibus accedunt reliqui. Præterea licet ſint plures utrinque milites, qui confligunt, hunc tamen ſervabunt ordinem, ut bini pugnent unde apud veteres tot paria dicebantur edita gladiatorum. Quicquid ſit, bene *certamen* dicitur *duorum*, quia quaſi duo aſſumuntur, quod, ſua ſignificatione ſatis innuit *duelli* vox & monomachiæ.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.
An licitum Duellum ludicrum gloriæ cauſa.

LUdi olim fuere in uſu, apud Sueton. In Caligula *Haſtici* vocati; ex ignorantia quadam à quibuſdam dicti *Actiaci*, hodie vocabulo minus latino *Torneamenta* appellata. Inverſo modo *Trojamenta*, forte quia à Trojanà juventute, quam in hoc ludi genere fuiſſe inſtitutam, refert virg. l. 8. Æneid. ad noſtra tempora ſucceſſione quâ pervenerunt. In hoc tamen mos hodiernus à veterum diſcrepat inſtituto, quod jam non amplius pueri ut olim ſed viri inter ſe concurrant; neque capite nudato aut coronato, verum galea preſſa ineatur certamen. Eſt igitur hic ludus, lancearia quædam decurſio cataphractorum, in qua ſinguli concurrunt, intermedia de more linea erectarum tabularum diſcreti. Quod ludi genus tanquam periculoſum illicitum exiſtimamus de Jure civili, idque judicio ac indicio l. 7. §. 4. *Ad legem Aquiliam*. In qua Ulpianus ludos recen-

Digitized by Google

ſet gloriæ cauſa, inſtitutos, ac permiſſos etiamſi aliquo cum periculo decertetur. Loquitur autem tantum de colluctatione, pancratio, pugillatu, in quibus nunquam ferro contendunt. Excludit torneamenta, quæ majori fiunt cum periculo, ubique cuſpidibus confligitur. Contra ſtatuit Bocer. Cap. 4. de duello, Argumento l. *Solent. 2. D. Aleæ luſu & Aleatoribus.* Quo etiam utitur *Tholoſan. Syntag. Jur. l. 48. cap. 16. art. 3.* Lex ita ſe habet. *Senatus conſultum vetuit in pecuniam ludere: præterquam ſi quis certet haſta vel pilo jaciendo, &c.* Ad quam legem ita reſpondeo, illa certamina longe fuiſſe diverſa à torneamentis: potuerunt enim veteres haſtis, id eſt contis depugnaſſe, quod minore cum periculo ſoquam lanceis acuminatis, quomodo ſolent hodiernis temporibus apud nos gladiatores. Et ea ratione non procederet argumentum ab eo cui minus convenit, ei convenit quod majus eſt. Sed evidentiorem reſponſiorem ſuggerit ipſa lex. Non dicitur licere haſtis aut pilis in ſe mutuo incurrere, ſed conceditur virtutis cauſa certare haſta aut pilo jaciendo. Nullum hoc in luſu adeſt periculum,
tantum

tantum vires explorantur, uter haſtam aut pilum longius evibrare poſſit. Aliter ſeſe res habet in Torneamentis, non ſoli currunt ſed pares concurrunt, & ita maximo cum periculo in ſe mutuo, lanceis irruunt acuminatis. Etiam Jure Canonico prohibitum eſſe hoc genus exercitii ſatis probat Can. 1. De *Torneamentis.* in quo dicuntur eſſe *deteſtabiles nundinæ vel feriæ.* Ac morientibus in Torneamentis denegatur Eccleſiaſtica ſepultura *can.* 2. *de Torneam.*

Rationes quibus illa diſſuadentur, torneamenta, hæ ſunt. 1. Quia audaciæ maximæ eſt ita temere congredi cum adverſario qui congreſſus ſæpe vitæ ac animæ periculum habet adjunctum. Metuendum enim primo ne ex ephippiis excuſſu ſolo deturbentur equites lapſuque graviore ſi non intereant, ſaltem lædantur. Unde inter Græcos ſapientiores, pueros quos abſque periculo rudimenta artis equeſtris diſcere volebant, in dorſum arietum, ne ex alto laberentur, imponebant. Secundo verendum ne lanceis caſu quo aut ictu nimio vulnerentur: ita enim *Ceſennæ* maximo cum diſcrimine exhiberi ſolitas illas de-

curſiones propter craſſiores haſtas ac præpilatas, quibus nobiles inter ſe concurrebant, teſtatur, *Gabriel Naudæus lib. 1. Syntag. de ſtudio militari p.* 157.

2. Quia hoc genus haſtiludii nulli bono. Majore quippe ludorum cum apparatu, ac ſcenarum celebratur, quam in equeſtri conveniat decurſione. Immo magis ad pompam, & oſtentationem eſt ornatum, quam exercitium, aut fortitudinem. Fateor quidem avorum noſtrorum temporibus ludi haſtici more conſueto fuere celebrati, ſed ideo, quod in prælio, aut in bello cum lancearii pugnarent equites maxima eorum eſſet utilitas, quam etiam aliquo cum periculo redimere, non illicitum judicatur; quemadmodum hodiernis temporibus concurſus ludicri equitum non illiciti, etiamſi ſubinde cum aliquo diſcrimine, quia illos fieri exercitui, ut & militiæ expedit. Verum cum jam nullus eorum in bello uſus, ceſſante hoc armorum genere, & à noſtris, & hoſtilibus partibus, iniquum cenſetur oculos oblectare tali ſpectaculorum genere, quod nonunquam poſt ſe trahit diſpendium vitæ, aut ſaltem valetudinis.

3. Majora

3. Majora ex hoc ludo ſubinde oriuntur mala, à parte victoris primo contemptus; vituperabit enim adverſarium, quem facili vidit à ſe negotio ſuperatum. Secundo ſuperbia; vana enim iſta gloria eum elatum efficiet ac vanum, adeo quidem, ut neminem ſibi in aula parem poſthac ferre velit. Tertio, audacia, ut enim vidit ſibi hoc negotium feliciter prima ſucceſſiſſe vice, eo proclivior erit & ſecunda cum alio congredi adverſario. A parte victi primo oborietur dolor, & indignatio, dum ſe victum experitur ab eo, quem ſi modo parem, nunquam tamen ſuperiorem agnoviſſe voluit; huncque caſum ſibi infelicem potius fortunæ, quam virtuti tribuet adverſarii. Et hinc ſecundo, è dolore audaciam colliget, & aut temerario auſu ſtimulatus aut deſperatione, demum eumdem data occaſione provocabit adverſarium, experimento ſpectatoribus approbaturus, ſe non tam victum aut virium defectu, aut exercitii ruditate, quam quidem fatali aliqua neceſſitate. Itaq; jam martem expetit judicem, qui ante iniquum fortunæ expertus eſt judicium. Tertio, ſi forte læſus ab adverſario, inimicitias medita-

bitur capitales, quia hoc non tam caſu, quam animo deſtinato factum autumabit. A parte ſpectatorum hæc erunt incommoda. Animoſioribus ſtimulus addetur ac incitamentum ad illa exercitia illicita, ſpe victoriæ, ac honoris adeptione. Quod Liv. l. 28. notat illis verbis: *alios æmulatio & certamen ut provocarent, provocatique ne abnuerent, traxit.* Alios invidia exacuet, quod eum videant victorem, cui minime forte propter ſuam jactantiam victoriam optabant: ſolent enim ut plurimum tales homines contriſtari ſuper proſperis amicorum ſucceſſibus. Unde Chryſoſt. Hom. 26. in 2. Corinth. *Heri & pridie amicus & loquebaris cum illo, fortaſſe etiam comedebas, repente, cum videbas membrum tuum magis honeſtatum, abjecta amicitiæ perſona, hoſtilitatem induiſti, imo inſaniam. Inſania enim eſt alienis bonis cruciari.* Alii rurſum æmulatione prava imbuti, (quod etiam ſubinde in victo obſervandum) victorem provocabunt, ut depugnare velit cum illis in duello lucentibus mucronibus, probaturi num eodem animo ſit futurus in re ſeria, qui in luſu, decretoriis armis, qui ludicris. Et ſi non movent rationes

a

à nobis jam allatæ, ſaltem moveant exempla. Quis eſt qui ignorat iſta lætitiæ ac voluptatis ſimulacra, ut plurimum dubia, ac luctuoſa fuiſſe, caſu quo ſiniſtro, ac eventu infelici? ſeculum hoc dictavit antiquum, vel Nonii Aſprenatis exemplo, qui coram cæſare Auguſto Trojam ludens, crure ex equi lapſu debilitatus eſt. Seculum hoc noſtrum, tot hujus rei profert exempla ut neminem fugiant, niſi quem hiſtoriæ noſtri temporis omnino lateant. Teſtimonio eſt infelix caſus Franciſci Borbonii Anchiani, qui miſerabili in ludo, luxata cervice, confractoque cerebro, ſternitur. Nec oblivioni traditum Henrici ejus nominis ſecundi fatum, in publica celebritate, cum Mongomerio comite concurrentis. Confractis enim utrinque haſtis, ex trunci ictu, qui forte per apertam caſſidem in oculum penetraverat, ſecundaria percuſſione vulnus accepit, quo intra undecimum diem confectus, naturæ ceſſit. Thuan. lib. 3. Tom. 1.

Digitized by Google

CAPUT. III.

An corporis exercitium licitum?

INter ludorum genera, veteribus uſitata, quibus corpus cum corpore committitur, præcipua illa duo ſunt luctatio, ac pugillatus. De quibus Ulpianus l. *qua actione.* 7. §. *ſequis*, *D. Ad leg. Aquil.* in illis verbis: *Si quis in colluctatione, vel in pancratio, vel pugiles dum inter ſe exercentur, alius alium occiderit; ſi quidem in publico certamine, ceſſat Aquilia. Luctatio* eſt una ex Gymnicis quinque, in quibus robore ac viribus certabant, & lateris quidem peragebatur complexu. Qui ſeſe exercebant Athletarum nomine Græcis inſigniti, eorumque locus palæſtra. *Pancration* videtur ludi fuiſſe genus mixtum ex colluctatione ac pugillatu. Qui huic navabant operam Pancratiaſtæ vocati comprehenſi ſub Athletis. *Gell. Noct. Attic. l. 13. cap. 26. ex Ciceron. Ad ea cavenda atque declinanda, perinde eſſe oportet animo ſemper prompto atque intento, ut ſunt Athletarum, qui*

Prancratiaſtæ vocantur. Non ſecuti illi ad certandum vocati, projectis alte brachiis conſiſtunt, caputque & os ſuum manibus oppoſitis quaſi vallo præmuniunt: membraque omnia eorum priuſquam pugna mota eſt, aut ad vitandos ictus cauta ſunt, aut ad faciendos parata: ita animus &c. Pugillatus à pugna dictus, eſt ille ludus, in quo pugnis, calcibus, morſu, poſt etiam cæſtibus, & omni corporis niſu ac luctatione certabant. Illos ludos jure civili fuiſſe licitos argumento eſt *l.* 7. ante cit. *D. Ad leg. Aquil.* & *lex. unic. C. de Athletis, libr.* 10. Quæritur an recte? nobis certe non videtur. Et ita etiam dicendum exiſtimamus, ſi jus Canonicum ſpectetur. Iſta quippe depugnandi conſuetudo peccati eſt nutritiva, ac per conſequens corruptela potius quam conſuetudo. Text eſt in *c.* 1. *de conſuet. in.* 6. Ita etiam ſtatuit Franciſcus Vivius Decis. lib. 1. decis. 66. *Conſuetudo permittens duellum, pugnam, pancratium, ſeu ludum lapidum, pugnorum, non valet modo aliquo, nec tolerari debet, tanquam illicita & injuſta.* Et licet percutiens, vulnerans, occidens aliquem hujuſmodi in ludis, excuſetur à pœna temporali propter il-

lam

lam conſuetudinem, ut eſt in *l. Aquil.* loc. antea citato: tamen non eſt tutus in conſcientia, neque excuſatur à peccato, cum ipſa conſuetudo, non ſolum non excuſet peccatum, ſed etiam aggravet. *Vivius decis.* 66. Immo de jure Canonico certantes ac dimicantes pœnam incurrunt excommunicationis, ut innoteſcit ex *Decret. Concil. Trident. de reformat. ſeſſ.* 25. *c.* 19. Unde iſta homicidia, quadantenus tantum excuſanda putat *Gilhaus. Arbor crim. c.* 2. *tit.* 12. Rationes quibus noſtram confirmamus ſententiam hæ ſunt. 1. Quia tales ludi condemnandi, qui periculis maximis homines ſubjiciunt; adeo quidem ut in talibus certaminibus ludicris aut lædantur aut interimantur, ut arguit *l.* 7. *D. ad l. Aquil.* quod non ſine mœrore ac lacrymis plurimorum accidere poteſt, aut ſaltem debet: eſt enim ibi periculum diſpendii vitæ & animæ, ut loquitur *canon* 1. *de Torneam.* 2. Quia nunquam ſine ira aut ſimultate iſta certamina celebrari poſſunt. Quis enim patiatur ſibi plagas inferri ab adverſario animo ſedato? quis cæſtibus excipi miſeris modis, non turbatis ferat cogitationibus? adeo uterque

terque laſſus & inferendo, & excipiendo? nemo, Hercle, nemo.

3. Quia ab omni humanitate prorſus alieni iſti ludi, qui ſanguinem provocant humanum; in quibus ſubinde nodoſis baculis, ſudibuſque præuſtis decertant, ut olim ab *Eugubiis* factum; in quibus manibus & calcibus inſultant, morſibus corpora fædant, & oculos invicem eruunt, nobis vitâ noſtrâ cariores. Quæ inter Lacædemoniorum ephebos obtinuiſſe teſtis eſt Pauſanias in laconicis. Iſta igitur ſpectacula potius viſu triſtia ac enormia, quam jucunda, aut temperata. Oculatum hujus rei teſtem habes *Tull. Tuſcul.* 5. *Adoleſcentium greges Lacædemone vidimus ipſi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morſu denique, ut exanimarentur, antequam ſe victos faterentur*. Quale fere certaminis genus (quanquam de madidis ac mero titubantibus) illis verſibus graphice depinxit *Satyricus*:

Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.

Dein

Dein clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus: paucæ ſine vulnere malæ,
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine naſus
Integer. Aſpiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & biantia ruptis,
Oſſa genis, plenos oculorum ſanguine pugnos.
Ludere ſe credunt tamen, & puerileis
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.

4. Quia hæc omnia repugnant miſericordiæ Chriſtianæ, è qua tanquam è fonte hoc manat, *gaudere, cum gaudentibus, dolere cum dolentibus*; non autem lætari & ſubſultare in ignominia ac miſeria proximi. Juſtus miſericors eſt etiam ſuper animali ſuo, inquit Regum ſapientiſſimus, multo magis ſuper æquali, ſuper ſocio, ſuper fratre. Oculi, manus, pedes ideo bini ſunt conditi, ut conjuncti ſe adjuvent. Partes in corpore diverſæ, conſpirant ad conſervationem totius. Et ita etiam decet Chriſtianos, fratres, partes

partes unius corporis myſtici omnia conferre ad unionem & ſalutem, non ad corruptionem aut diſſolutionem.

5. Quia pugiles, reliquique iſtius commatis homines apud veteres nullo in pretio fuere habiti, & quod priſcam ſapit diſciplinam nulli iſta ars apud Saxones alioſque honori fuit aut decori, quæ tamen potiſſimum ſpectanda Chriſtiano ex D. Pauli monito, ſuadentis, ne quicquam committat ultra id, quod eſt decorum. Immo inter eos qui honori velificabantur olim tantum fuit odium ſpectaculorum, ut prius mortem ſibi intulerint, quam in ſenatum producerentur, indignum rati ſi per ignobile certamen aliorum exponerentur ludibrio. Quod de Saxonibus teſtatur, *Sym. lib. 2, Epiſt, 46.*

6. Quia iſta certamina nullum aut rarum in bello præſtant uſum, ſed tantum otioſis hominibus conceduntur, ut iſtis vanis tempus tranſigant, inſueti majoribus occupari. Non enim in prælio aut pugna luctatione certant, ſed armis, non corporis robore, ſed fortitudine, non pugno, ſed gladio. Et etiamſi aliquam ſpeciem præ ſe ferant virtutis,

longe

Digitized by Google

longe tamen à virtute ſunt ſemoti, minuſque rebus bellicis gerendis & expediundis idonei. Quod Alexander Magnus ſatis lepido reſponſo apud Plutarch. in Apothteg. deſignavit. *Cum enim Mileti multas athletarum ſtatuas vidiſſet, qui in Olympiis viciſſent: Et ubinam, inquit, tanta iſta erant corpora, quando Barbari veſtram urbem obſidebant.*

CAPUT IV.

Quid dicendum de congreſſu nudorum?

Apud veteres exercitationum genera varia, nudorum juvenum non modo cum juvenibus ſed & puellarum, virginiumque cum virginibus, & virginum cum maribus, quarum corpora lucta, curſu, reliquiſque id genus virilibus exercitamentis, non ſecus ac virorum obdurari ſolebant ad laborem. Utrumque inſtitutum *Propertius* iſtis deſcribit verſibus: *Eleg.* 13. *l.* 3.

Multa tuæ Sparte miramur jura Palæſtræ,

Sed

Sed mage virginei tot bona Gymnaſii,
Quod non infames exercet corpore ludos;
Inter luctantes nuda puella viros.
Cum pila veloces fallit per brachia jactus;
Increpat & verſi clavis adunca trochi.
Pulverulentaque ad extremas ſtat fœmina metas
Et patitur duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad cœſtum gaudentia brachia loris
Miſcile nunc diſci pondus in orbe rotat.

Quod certamen à Lycurgo inſtitutum, forte ideo, ut ita futura ſoboles victoribus ac victricibus orta parentibus, longe naſceretur robuſtior; vel ut ita mares conſpicati puellarum denudatarum formoſitatem, earum caperentur amore. Quicquid ſit, nemo ſanæ mentis hoc Lycurgi probabit inſtitutum: puellas enim nudas, cum viris nudis colluctari, & cum amatoribus conſiſtere non eſt citra infamiæ notam. Et muliebris illa nuditas, quacunque de cauſa inſtituta, ſemper reprehendenda. Neque enim leges etſi ſeveræ ad obſervantiam ſui quemquam obligant, niſi honeſtæ, ac ſexus verecundiam non egredientes.

Et

Et ſane ſi ulla conſuetudo invitat ad peccandum, hæc erit: cum homo alias ſine externis illis incitamentis ſit ſatis pronus ad libidines, ac pravas cupiditates.

CAPUT. V.
Quid dicendum de armorum exercitio?

QUantum valeat armorum exercitium, quo corpus ad militiam redditur idoneum docet ratio, confirmat experientia. Ignavia corpora hebetat, deſidia effæminatos reddit homines, ac molles: induſtria è contrario firmat, exercitatio facit alacres, quo tractandis armis conſueti, quando opus & uſu erit, poſſint ictus inferre, illatos avertere.

Segnities præclaras cogitationes, quibus ad militaris gloriæ ſplendorem erigitur animus, obtundit. Ex adverſo cum validiſſimis certare, cum alacribus concurrere magnos efficit, quotquot hoc faciunt. Scilicet hominum mentes otio deditæ, ac languori corrumpuntur, ſequiores fiunt. Pulli equini ni initio pa-

rum

rum exerceantur, & ita paulatim oneribus ferendis idonei reddantur facile delaſſabuntur, ſubeundis ſarcinis inepti: militiæ dicati, ni ab eunte ætate ad arma tractanda adhibeantur, facili languеſcent negotio, ac adverſariis Victoribus ſine mora terga obvertent.

Exemplo ſuo hoc ipſum ſatis comprobarunt Lacedemones, qui quamvis pauci admodum eſſent numero, univerſam pene Græciam ſubigerunt, cum reliqui Græci deſidiæ ac voluptati vacarent. Romani judicio omnium virtute ac gloria mortales omnes olim anteibant, quia apud ipſos exercitatio vigebat armorum, unde ſub campi doctore tyrones inſtruebantur, quo periti ſinguli mandata in prælio accipere, & ſi opus eſſet, etiam dare. Adeo ut de illis non ſine ratione diceretur, quivis eorum imperatoris, quivis imperator militis officio fungi poteſt. Ea de cauſa Pompeius, quod vere eum effecit Magnum, pro conſuetudine habuit in caſtris ſaltu cum alacribus, curſu cum velocibus, vecte cum robuſtis certare. Et de Aureliano cæſare refertur, quod nullum diem prætermiſerit, in quo non ſe pilo,

Digitized by Google

ſagittis & militaribus exerceret armis.

An Silius Italicus dum de Scipionis indole loquitur, hoc potiſſimum eum nomine commendat, quod laboribus aſſiduis, ac ingenuis vacaret exercitiis. *lib.* 8.

Ipſe inter medios venturæ ingentia laudis
Signa dabat, vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murales foſſas, undoſum frangere nando
Indutus thoraca vadum, ſpectacula tantum
Ante aciem virtutis erant, Sæpe alite planta
Ilia perfoſſum, & campi per aperta volantem
Ipſe pedes prævertit equum, ſæpe arduus idem
Caſtrorum ſpatium & Saxo tranſmiſit & haſta.

Quamobrem ſummopere laudatus Lycurgus apud antiquos, quod durius haberet juventutem domi, quam foris, quod majora civibus ſuis exercitia intra muros, quam intra vallum imperaret. Et revera cum exercitus Varroni dicatur,

tur, quoniam exercitatione evadit melior, cur non ſummo jure ac ratione hæc exercitia militi commendenda? Adoleſcentes igitur quos laboribus bellicis ſuſtinendis pares olim eſſe volumus, eorum quam primum aſſuefaciendi ſunt rudimentis. Niſi enim quis ita iſtis à teneris aſſueſcat annis, nullis gravioribus poſtmodum exiſtet habilis. Ea quippe quæ initio difficilia, in medio ſunt facilia, in fine delectant, teſte experientia. Quoniam autem conſuetudo ſenſim ac paulatim inducenda, ne ſubita gravem in corporibus efficiat mutationem: ideo per vices hæc nobis admovenda, ne ſi repente, & uno quaſi eodemque tempore, magnis periculis corpora divexentur, tum diverſis ſubjaceant mutationibus.

Militibus autem noſtris ac nobilibus commendanda inter cætera illa exercitia, quibus ad pedeſtre & equeſtre prælium corpus redditur idoneum. Quale eſt illud quo ad haſtam vibrandam inſtruuntur, præterea quo curſu certant, directione globi ad metam ſclopo contendunt, quibus adde curſum equitum ad annulum, quem Galli vocant *la bague*, vel ad ficti hominis pugnam, & quæ ſunt

hujus generis alia, quæ cum ſine diſcrimine necandi fiant, juſtam concurſus habent cauſam.

Quid autem dicendum de arte laniſticea? quæ nihil aliud eſt quam ratio ſcienter ac rite tractandi gladium. Quam artem à P. Rutilio Conſule Cn. Manlii collega militibus traditam aſſerit *Valerius Maximus*, *lib.* 2. *c.* 1. Anno ab urbe condita IↃCLVIII, *nullius ante ſe imperatoris exemplum ſecutus ex ludo C. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum accerſitis, vitandi atque inferendi ictus ſubtilitatem legibus ingeneravit.*

Certe iſta maximopere militibus commendanda, utpote quæ maximum ſubinde præſtat uſum. Etſi enim videatur quibuſdam hunc umbratilem depugnandi modum, vero officere certamini, quia metus, ac periculi hominem facit ſecurum, ut quiſ magis huic pugnandi confidat induſtriæ, quam animo: tamen dicendum eſt, artem virtuti commodè miſceri poſſe, alteramque alterius ope egere ac auxilio; ut ita illa impetu hujus fortior, hæc illius cognitione evadat cautior. Et quod peritiâ virtus juvetur, judicio eſt fortitudo militaris, quæ experientia

perientia naſcitur & experientia augetur. Quod ipſum ſingularis certaminis exemplo comprobat *Livius*, *l.* 28. in quo major ætate *Corbis* uſu armorum & aſtu, facile rudes ac ſtolidas *Orſuæ* vires qui minor erat, ſuperavit. Et ita ſæpe artis hujus peritiſſimi conſtanti quadam audacia, & periculorum contemptu, præclaræ virtutis ac fortitudinis experimentum, quoties opus fuit, exhibuerunt.

CAPUT. VI.

Duella judicialia num admittenda?

DUo fuerunt olim remedia probandi ordinaria, teſtes & inſtrumenta, totidemque iis deficientibus extraordinaria, jusjurandum ac divinum judicium, id eſt probatio innocentiæ per duellum. §. *Si vero vaſallus* 2. *Feudor. tit.* 2. junct. cum §. *ſi ruſticus militem* 2. *Feudor. tit.* 2. quæ poſtrema probatio inter ſpecies vulgaris ponitur probationis *can.* 2. *de purgat. vulg.* Fuit illa conſuetudo Longobardorum, ut quotieſcunque deeſſet probatio judici per duellum fidem par-

tes facerent. Variis autem id obtinebat in caſibus. De criminibus objectis licebat ſe purgare per pugilem quem campionem vocant *l. 1. leg. longobard. titul. de Maleſic. l. final.* Mulieri accuſatæ de ſublato per venenum marito licebat ſe purgare vel per juramentum, vel per campionem. *l. final. de conſ. mort. lib. 1. leg. longobard.* qui alium cuculum vocaſſet, ſi propter hoc convitium accuſaretur, tenebatur negotium aut componere, aut per duellum probare, & ita multis aliis in controverſiis, ut videre eſt ex conſtitutione Friderici, *de pace tenenda 2. Feudor. tit. 27. init. & §. 3.* Hinc uſus ille duellorum, à Longobardis ad alios populos tranſlatus, ac approbatus eſt, teſt. *Buſio diſput. polit. 9. theſ. 21.* In Dania Frotho III. Rex eam tulit legem, ut omnes ſingulari certamine lites decernerentur atque finirentur. *Saxo Grammat. lib. 5. hiſt. Danicæ.* ſpecioſius viribus quam verbis confligendum exiſtimans. Eandem in Moſcovia probandi rationem in uſu fuiſſe tradit *Camerar. 2. hor. ſuccis. l. 19.* Apud Ruttenos & Hungaros ſi de cauſa aliter non liqueret, idem obſervari notat *Bodin. de Republ. lib. 4. p. 743.* Apud

Digitized by Google

Apud Umbricos controverſias exortas per monomachiam armati decidunt ac componunt, eumque juſtiorem, qui vicit, cauſam habere autumant. *Boekel. diſq. de publ. jud.* 6. Apud Alemannos duellum committitur & pro rerum controverſia, & pro dote allata repetenda. *In leg. Alem. tit.* 85. *tit.* 77. Olim & apud Anglos inter rationes litium finiendarum, duellum receptum, referente *Thom. Smith.* 2. *de Republ. Anglic. c.* 6. & 8. In iſlandia lites forenſes de prædiis, hæreditatibus, dotibus nunnunquam duello diremptæ: ita, ut bona controverſa victori cederent, ſine majore jactura bonorum victi. Idem juris erat, ſive quis ad duellum poſtulatus recuſaret: ſive certando vinceretur. teſt. *Arngrimo Jonæ, in Republ. Iſland.* In Gallia iſta olim fuiſſe permiſſa colligere licet ex conſtit. Philippi Regis Gallorum, anni 1306. Quam explicat Guid. Pap. in ſuis deciſionibus. Quæ tamen à Rege demum permiſſa quatuor hiſce concurrentibus. Primo ſi liqueret crimen eſſe commiſſum, etiamſi, à quo commiſſum ſit non liqueret. Secundo, ſi crimen quod objiciebatur, pœnam mortis mereretur.

Tertio,

Digitized by Google

Tertio, ſi ita eſſet commiſſum, ut nullo alio modo probari, nullave alia ratione de veritate conſtare poſſet. Quarto, ſi is qui provocaretur, & de commiſſo accuſaretur, per indicia & probabiles præſumptiones haberetur ſuſpectus, adeo ut duellum quaſi admitteretur ſub comparatione torturæ & equulei. Cujus duelli formam & ordinem qui ſcire volet, adeat *Tholoſan. Synt. Jur. univerſ. l.* 48. *c.* 16. Et ſi vero hiſce in caſibus duellum non quidem temere videatur conceſſum; tamen modus ille veritatem explorandi iniquus, conſuetudo permittens prava. Utpote quæ non ſolum juri civili, & canonico & divino contraria, ſed etiam naturali.

Eſt enim I. Contra humanitatem, inſtar furiarum civem in concivem irruere; eſt contra rationem naturalem, ac æquitatem, facinoroſum evadere, innocentem puniri, ut in duellis ſæpe contingit judicialibus. II. In monomachia tali deſideratur à judice, non ut vincat, qui eſt fortior, quod eſt naturale, quam quidem ille, qui cauſam habet juſtiorem, licet ſit imbecillis, quod eſt contra naturam. Igitur jure naturali prohibitum

tale

tale duelli genus. Suffragantur & civiles leges, quibus iſti probandi modi reprehenſi Prob. I. Argum. *l. unica C. gladiatoribus*. In qua lege prohibentur omnia cruenta ſpectacula in otio civili, qualia non ſolum ſunt gladiatorum, verum etiam duellantium judicialiter. *Boekel. diſp. Judic. 6. Boter. de duell. c.* 2. Prob. hoc medio. Aut admittuntur duella in cauſis levioribus, & ſolum pecuniariis, aut in criminibus capitalibus. Si in illis quæ tantum requirunt multæ irrogationem, pœna non erit proportionata delicto, ſed ſuperabit delictum. Si in hiſce, neutiquam id fieri poterit de jure civili, cum in criminalibus requirantur probationes luce meridiana clariores. *l. ult. C. probat.* Verum duellum probatio eſt obſcura, cum eventus ſæpiſſime fallat; immo non tam probatio, quam pœna. Saltem hic probatio non diſtinguitur à pœna. Vulnere enim probatur delictum, vulnere idem punitur. Cum tamen probatio à pœna neceſſario debeat eſſe diſcreta. Illa ejus eſt qui incuſat, hæc judicis qui irrogat. Prob. III. quia, verbis & judicio controverſiæ finiendæ, non armis,

mis, diſceptatione, non vi. Juris via proceditur, & actionibus proceſſus præſcribitur, non martis judicio. *l.* 13. *D. quod metus cauſa.* Quod obſervatum à Romanis etiam in publicis inimicitiis, primum ad colloquium veniebant, antequam ad arma. Multo magis igitur hoc ipſum ſervandum in privatis ſimultatibus. Judicis etenim eſt providere, ne manus conſerant, quos ſua poteſt compeſcere juriſdictione *l.* 13. §. *Sed ſi* 3. *D. Uſufruct. prob.* IV. quia non eſt privati hominis lites dirimere, & diminuere, ſed prætoris. Ergo non debet hoc negotium adverſario committi, ut ipſe litem gladio determinet. Argum. *l.* 21. *D. rebus credit* & toto tit. C. *nequis in ſua. cauſ.* Sed objiciunt, litem componit prætor, quando partes committit inter ſe, quia alius nullus ſupereſt diſſidii finis. Reſp. controverſiæ ſopiendæ à prætore eo modo, quod id fieri jubent leges. Jubent autem leges actore non probante reum eſſe abſolvendum, licet ipſe nihil præſtet *l.* 4. *C. de edend. Prob.* V. Quia id quod metu fit, ratum non habet prætor, tot. *tit. C. quod metus cauſ.* verum ad duellum provocare adverſarium, eſt

illi

Digitized by Google

illi metum injicere, & quidem juſtum, qui etiam cadere poſſit in virum ſapientem; adeo quidem ut potius malit cauſa cadere, quam cum adverſa parte deſcendere in certamen. Quid ſi enim ille debilis, alter robuſtus, ille armis tractandis rudis, alter exercitatus. Ei ſi duellum eligit, idem erit ac ſi mortem eligat. Ergo ratum illud nunquam eſt habendum, neque probandum.

Etiam canones conſentiunt, in quibus duella referuntur ad purgationes vulgares, quæ illicitæ! quales explorationes per ferrum candens, per calidam aquam, & quæ hujus generis populares inventiones probationibus oppoſitæ canonicis. in *c. Mennam*, 2. *q.* 5. *& tot. til. purgat. vulgar.* ubi *c.* 2. exemplum proponitur in caſu furti condemnatum, fuiſſe abſolvendum, & *c.* 3. ratio ſubjungitur, quæ generaliter valet, ut colligere licet ex c. *quæritur* 22. *q.* 2. *c. Monomachiam* 2. *q.* 6. & alia ratio eſt non contemnenda in c. *non eſt innocentiæ*. 23. *q.* 5.

Neque deſunt huic ſententiæ probationes è jure divino petitæ. I. hæc eſt. Si res ſit probanda, debebit inſtitui probatio. Aut per teſtes. *Deut.* 19. *v.* 15.

aut

aut per juramentum. *Exod. 22. verſ. 7.* aut per confeſſionem propriam *Joſue 7. verſ. 19.* alii ſi eſſent modi, deberent exprimi. Nullibi autem fit mentio in ſacra pagina hujus duelli aut explicite aut implicite: Ergo illud illicitum judicandum II. Ille actus jure divino eſt illicitus, per quem tentatur Deus *Math. 4.* verum duellum judiciale, eſt talis actus: cum enim nullis veſtigiis res poſſit deprehendi, ac Deus ejus cognitionem, ac manifeſtationem ſibi ſoli reſervaverit, tentationis eſt, eam velle miraculoſo modo inveſtigare. III. Illa probatio jure divino iniqua eſt, qua innocens punitur ac nocens liberatur. Secundum illud ſapientiſſimi Regis dictum *qui nocentem juſtificat & innocentem condemnat, uterque Deo abominatio.* Aſt in duello ſæpe contingit ut innocens pereat, ac habeatur pro nocente, ac nocens evadat. Quod ipſe Imperator Lotharius fatetur illis verbis. *Qui incerti ſumus, de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam ſine juſta cauſa ſuam cauſam perdere: ſed propter conſuetudinem gentis noſtræ Longobardorum, legem impiam vetare non poſſumus. lib. 1. leg. Longobard. tit. de Monomachiis.* Neque

que valet objectio : Deus eſt juſtus judex, veritatis amans, qui juſtitiam coli præcepit, itaque & hoc genere probationis veritatem adjuturus eſt. Reſp. I. veritatem Deus promovet, non tamen per illigitimum, & illicitum medium, quale eſt duellum. II. Aliquando *permittit Deus, in iſtis duellis, innocentes in eo quo accuſantur crimine ſuccumbere & necari propter alia eorum peccata. c. 1. purgat. vulgar.* Imo aliquando permittit Deus illos qui falſis accuſaverant ſe mutuo criminibus evadere, cum tamen uterque ratione falſæ accuſationis nocens ſit. Cujus rei exemplum hoc loco adjiciam memorabile, quod temporibus Alphonſi Caſtiliæ Regis contigiſſe refert Dominus *Pierre Miſſie* in libro cui titulus *les diverſes lecons &c.* Quidam nobilis militia clarus nomine *Rupas* de *videma* coram Rege profeſſus erat, quemdam nobilem *Rodigem* de *Avila*, proditorie agere, quod in armis inſignia gereret Portugalliæ, cum eſſet Regis vaſallus caſtiliæ. Seque hoc probaturum & teſtibus & armorum concurſu, aut aliquo alio probandi medio, ad quod regis obſtringeretur mandato. Simulac iſta reſci-

reſcivit *Rodiges de Avila* qui tum tempo-
ris aberat, Regi ſcripſit, ſe non teneri,
ſemet reſponſo quo purgare, cum *Rupas*
in proprium conſpiraſſet regem, eum-
que è medio tollere conſilia iniviſſet,
quod ſe duello probaturum dicebat, ſi
modo adverſario congrediendi conceſſa
fuiſſet à Rege facultas, & quidem ſalvo
addito conducto, quia crimen læſæ ma-
jeſtatis commiſerat. Quæ ut Regi in-
notuêre, dubius fuit ac animi pendulus,
quid hoc in negotio foret agendum.
Tandem conſultum viſum, utrumque
ad certamen ſingulare admittere. Locus,
tempus, more ſolemni indicuntur. Con-
curritur magno cum ardore, non aliter
ac ſi leonum foret congreſſus. Toto die
æquis pugnatum viribus, marte ancipi-
ti, adeo ut non obſervare liceret, utram
in partem ſeſe fortuna eſſet inclinatura.
Itaque noctis adventus illos ſeparavit,
quos ardor ingens, cum fortitudine &
armorum peritia junctis, ſegregare ne-
quivit. Altero iterum die priori hic
congreſſus par fuit, parque animus, ita
ut nondum conſpiceretur cui victoria
faveret. Tertio tandem die, in locum
ſolitum advenerunt, eodem quo ante
ani-

animo ſed majoribus quam ante viribus; eſtque decertatum tanta cum pertinacia, ne forte ejus diei anceps eſſet exitus ut uterque in admirationem regem, omniumque animos ſpectatorum in ſtuporem ac miſericordiam raperet, metuentium triſtem interitum tam fortium virorum. Atque ita viribus nondum flacceſſentibus, deſiderata, regi, ac populo veſpertina adventavit horâ, qua ſe juncti, quamvis inviti, ad regem fuere adducti, qui utrumque abſolvit, Deo quaſi monſtrante ut dicebat, innocentiam utriuſque, cum triduanâ illâ pugnâ neuter alterum aliquo armorum ſuperaſſet genere.

IV. Omnes illæ actiones jure divino illicitæ, quæ aut odio, aut vindicta, aut deſperatione, aut affectione vitioſa peraguntur; verum actiones duellantium tales ſunt; neceſſum enim eſt alterum eſſe nocentem, alterum innocentem: cum igitur utriuſque voluntas ſit alterum interimere, qui nocens eſt affectu pravo peccabit, quia innocentem volet interficere, & qui innocens eſt peccabit, quia ſemet ſuper injuria volet vindicare.

V. Deus tales non exigit probationes, quæ fiunt ſanguine humano, & quarum exi-

exitus, etiam ipſi victori ſunt luctuoſi; quales ſunt exitus duellatorum. Ille enim, qui alium interemit tantum ſuam cauſam probavit contra accuſatorem. Luctuoſum vero eſt propter accuſationem injuſtam hominem ab homine interfici, & injuriarum gratia ſanguinem effundere humanum.

CAPUT VII.

An quis Poſſit acceptare duellum ſuam ſciens innocentiam, ac adverſarium injuſtè procedere.

DIcim. I. Etaimſi innocens ſciat injuſtam condemnationem adverſariũ per teſtes falſos impetraturum, non tamen exiſtimandum illi licere, duellum offerre adverſario, aut eum prævenire, aut occulte occidere, ut vult inter Moraliſtas *Bannes*, *Emman. Rodrigo*, *Navarrus*, aliique citati apud *Fragoſam Reg. reipubl. Chriſt. part*. 1. *lib*. 1. *diſp*. 2. Ratio prima eſt; quia hoc medio videtur ſeipſum vindicare velle, ſi judex ſuo non ſatis fun-

fungatur officio, atque aliqua ratione locum dare iræ, contra dictum *D. Pauli Rom.* 12. Ratio ſecunda eſt, quia Chriſtiani hominis eſt officium, potius injurias pati quam inferre, aut agere quicquam, quo conſcientia ipſius gravetur, & ſcrupulo quo in opere bono præpediatur. Ratio tertia eſt. Quia iſtac via videtur prævertere velle providentem Dei gubernationem, ac male ſperare de ejus potentia, bonitate, ac ſi nec poſſit, nec velit, antequam negotium ad extremum deducatur, eum periculo nondum præſenti eximere.

Dicim. II. Ne quidem debet duellum acceptare, ſi hoc ei offeratur, etiamſi putet actorem calumnioſum. 1. Quia hinc facilis eſſet prolapſus ad duella: homines enim facile ſibi perſuadent, affectibus abrepti, ſe per calumniam accuſari; nec eſſe aliud refugium, niſi ut acceptent duellum. Ex quo multæ cædes injuſtæ ſubſequerentur. *Leſſius lib.* 2. *de juſt. & jur. c.* 9. *dub.* 8. *n.* 47. 2. Quia Chriſtiani eſt ſperare, Deum aliquando & iſtis malis impoſiturum finem, & cogitare, iſta mala eventura in bonum ac ſalutem ſui ipſius.

Dicim. III. Non debet innocens acceptare duellum, etiamſi aliter jacturam honoris, aut bonorum in notabili quantitate evadere non poſſit. Ratio 1. eſt, quia non debet vita, & aliquando etiam anima periculo exponi propter periculum jacturæ bonorum, aut etiam honoris. Ratio 2. eſt, quia peccat ſi propter jacturam bonorum quem interimat; cum nulla ſit proportio inter bona & vitam hominis, ut poſtmodum fuſius probabitur.

Dicim. IV. Poteſt innocens duellum acceptare ab adverſario oblatum certo ſciens ſuam innocentiam, ſi cogatur à judice, ut illud acceptet, alias inhoneſtæ morti addicendus. Ita ſtatuit *Valent.* 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 17. *punct.* 1. *coll.* 2. *Fragoza part.* 1. *lib.* 1. *diſp.* 2. *a.* 46. *Azor. Inſtit. Moral. part. cert. lib.* 2. *c.* 5. *Tolet. ſumm. caſ. lib.* 5. *c.* 6. *in fin.* Ratio 1. eſt, quia cum nullum innocenti ſuperſit remedium, tale duellum, vera eſt defenſio, poteſtque fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, & conſequenter contra provocantem tanquam contra invaſorem eſt licita. Innocens enim ſe defendit ab injuria, & vitam ſuam tuetur à vi ſibi

illata

Digitized by Google

illata injuſte. Ratio. 2. eſt, quia innocens videtur conſtitui tanquam interficiendus, ita tamen ut ei permittatur ſeipſum defendere. Et nocens conſtituitur interficiendus ſi forte potuerit innocens, qui bonam habet cauſam, quique ea ratione tanquam miniſter conſtituitur juſtitiæ. Ratio. 3. eſt; Quia non imponitur à Magiſtratu hoc duellum, ut ſe purget innocens, & ita ſuam oſtendat innocentiam, ſed tantum ut pro vita ſua decertare velit. Etſi igitur Magiſtatus peccet, cujus non eſt aliquem ad hoc compellere, (aut enim novit compulſum innocentem, aut ignorat; ſi novit, eum debuiſſet abſolvere, ſi ignorat, ergo non debuiſſet permittere, ut adverſarius hunc provocaret) non tamen peccat innocens, qui vitam ſuam, quantum in ſe eſt tuetur.

CAPUT. VIII.

Quid dicendum de duellis ex quibus belli futuri deſumitur præjudicium?

ETſi futuri temporis exitus ignorantiæ involutus ſit nebulis: ea tamen

curioſitas eſt generis humani ut avide in iſta inquirat, quæ in poſterum eventura, quaſi nihil ſibi reſervatum voluerit Deus, opt. Max. quod lateret homines, eorumque fugeret cognitionem. Scilicet quæ poſt tot annorum ſeriem accidunt veluti ex magno loci intervallo non cernuntur, niſi ab eo ſolo, cujus oculus non ſolum longe diſſita circumquaque conſpicit, verum etiam ipſa cordis cogitata. Homines igitur quia eorum cognitio eouſque ſe non extendit, confugiunt ad caſualia quædam ac fortuita, & ex iis de futuris contingentibus quicquam prædicere ſatagunt. Ex commiſſionibus gallorum bonum rapiunt omen, aſſignantes ſingulis partibus ſuum gallum. Alii Tauros adverſus leones exacuunt, ut factum quondum audivimus ab Epiſcopo Leodienſi, cum noſtræ Provinciæ primitus abjecto Hiſpaniæ jugo auſpiciis illuſtriſſ. Memor. Principis Wilhelmi Arauſionenſis, ſeſe in priſtinum vindicarent ſtatum. Voluit experiri Epiſcopus num Provinciæ reverſuræ ad jugum, num excuſſuræ amplius. Leoni igitur partes aſſignatæ Hiſpanorum, Tauro Belgicarum Provinciarum. Vicit

cit Taurus, ſuccubuit Leo. Poſtmodum vicibus mutatis, ut ea ratione malum transferri poſſet omen, Leoni aſſignatum Belgium, Tauro Hiſpania. Rurſum vicit leo, ſuccubuit taurus. Quod omen rerum teſtimoniis hactenus fuit comprobatum. Igitur hic quidem non fefellit eventus, numine forte divino ita totum dirigente negotium. Non tamen ex illis commiſſionibus quicquam veri licebit prædicere. Nec etiam ut nonnulli volunt, ex eventu Monomachorum, decertantium utra pars victrix evaſura, quicquam licebit de belli alea colligere. Olim hoc à Germanis factitatum, qui adeo obſervarunt auſpicia, ut ſæpiſſime cum quodam hoſtium congrederentur, ex quo congreſſu præliorum prædicerent eventus. *Tacit de Moribus Germanor. Ejus gentis cum qua bellum eſt, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium ſuorum, patriis quemque armis committunt. Victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.* Fuit & hoc genus duelli familiare Græcis, imprimis quando res arduas aggredi volebant. Quod ſuo comprobavit exemplo Magnus ille Alexander, qui dimicaturus cum

Perſarum Rege Dario, duos produxit milites, quorum alter ſuam perſonam ſuſtineret, alter Darii; qua perſona devicta, quæ pro partibus ſtabat Darii, actutum decrevit bellum, ratus ſe quoque Darii fore victorem. *Plutarch. in ejus vitâ.* Attamen duelli hoc genus improbandum, partim propter rationes ſupra in duello judiciali allatas; partim quia fallax ex iis ſumitur præjudicium quæ caſualem ac fortuitum ſortiuntur eventum. Aliquando exitus belli jus unde ſtabat, dedit ei victoriam, non ei qui priore in duello vicerat, ſi pro injuſta contenderit parte. Aliquando immo ut plurimum Mars belli communis eſt, nec magis huic, quam illi favet, quia nuſquam minus quam in prœlio eventus reſpondent. Inepti igitur & iniqui arbitratores qui judicium ac conditionem belli, ſupra duelli aleam conſtitutam eſſe volunt.

CAPUT

CAPUT IX.

Quid dicendum de duello duorum ſupplicio juſte addictorum.

DIcim. I. A Parte judicis illicitum eſt partes cogere, ut ſeſe mutuo interficiant: non enim poteſt judex pro libitu quem condemnare. Ratio 1. eſt, quia reus tenetur tantum ſufferre ac ſuſtinere pœnas, juſta ſententia ei irrogandas, & ita ſatis fit juſtitiæ, non autem quicquam agere. Ratio. 2. eſt; quia afflicto non eſt ſuper addenda afflictio. Verum ea ſuperadditur, tum quia invitus ad aliquid faciendum cogitur, tum quia alio, vel etiam duriore mortis genere perit, quam fuiſſet periturus, tum quià major ei metus incutitur, dum ſtricto cum adverſario congreditur mucrone, quam ſi carnifici cervicem præberet. Ratio. 3. eſt; quia hoc modo pœna ſuperat delictum, ſeu crimen. Crucem, meritus eſt, unam mortem, non plures. Si vero concertet cum altero condemnato, ſinguli ictus adverſarii illi erunt

mortes.

mortes. Præterea non ſemper primo vulnere interficitur, itaque ſecundum, tertium, & quartum ſuperaddendum erit ut cadat. Jam vulnera illa non læthalia, quæ in anteceſſum dabantur, ſunt ſupra delictum, igitur illa immerenti infliguntur. Solum illud unicum merito patitur, quod mortem accelerat, & ni etiam in inſtanti, jam illud tempus, quod ſupra inſtans, in quo vulneris dolorem patitur, ejus pœnam aggravat, quia dolorem auget. Ratio. 4. eſt; quia eo modo ſpectaculum Magiſtratus exhibent cruentum; quodque ab omni humanitate eſt alienum, efficiunt, ut homines mutuis concidant vulneribus, ac humana ſeſe polluant cæde.

Decim. II. illicitum eſt ita hoc imponere partibus, ut victores impuniti maneant. Ratio. 1. eſt, quia fieri poteſt (ut illud certamen eſt anceps) ut pars minus nocens interficiatur & magis nocens periculo eximatur, quod ſæpiſſime factum fuiſſe, multi caſus demonſtrarunt. Ratio. 2. eſt; quia, ſi uterque æque nocens, judex iniquus cenſetur, qui jubet iſtos homines pari in cauſa conſtitutos inæqualibus certare conditionibus.

bus. Alter enim altero aut robuſtior erit, aut animoſior, aut exercitatior, & ea ratione prævalebit. Ratio. 3. eſt; quia injuſte agunt Magiſtratus, ſi nocentem impunitum relinquant. Verum nocens impunitus ſic evadit: non enim ſententia judicis mortis deſtinatus eſt periculo, ſed morti, non caſuali, verum certo illi eventuræ.

Dicim. III. Non eſt licitum hoc duelli genus adire à parte pugnantium. Ratio. 1. eſt; quia non expedit ut quis ſeſe tueatur, contra alterum: cum enim mortem ſit meritus, potius ſemet patiatur interfici. Neque expedit ut reſiſtat alteri; ſi enim ut volunt caſuiſtæ, alter ſit conſtitutus ut juſtitiæ miniſter, nefas eſt ei reſiſtere, quia qui reſiſtit miniſtro, reſiſtit magiſtratui, ac ſupremis poteſtatibus, & qui illis ſeſe opponit ordinationi reſiſtit divinæ. *Rom.* 13. Objic. *Azorius Inſtit. Mor. Part.* 3. *l.* 2. *c.* 5. Reus mortis juſte poteſt damnari ut fame pereat, ergo ut pugnet cum altero. Reſp. diverſa eſt hic ratio. Qui fame perit patitur, eique vitæ ſubtrahuntur ſubſidia. Qui cum altero congreditur, ictum infert & quia agit, dicitur reſiſte-

re.

re. Ratio. 2. eſt; quia non debet petere aut procurare ſibi ullum evadendi remedium nocens, cum mortem teneatur ſubire, quam meritus eſt propter delicta. Verum ſi cum altero congrediatur, patienter non fert ſupplicium, cui deſtinatus, quod tamen debebat ferre, verum ſemet juſto vult eximere ſupplicio. Ratio. 3. eſt; quia ea ratione ſibi partes ſuggerunt peccandi anſam & occaſionem, quæ conjuncta eſſe poteſt cum periculo animæ. Ira enim & odio in ſe mutuo concitantur, affectibus abripiuntur, adeo ut congrediantur non tanquam cum juſtitiæ miniſtris, quam quidem cum hoſtibus infenſiſſimis, conſequenter ſi in illis peccatis moriantur ſine ulla pœnitentia, (quanquam hic non requiramus pœnitentiam externam oris, aut ſemper, pœnitentiam ſubſequentem iſtius in ſpecie actus vitioſi.) metuendum eſt illud aliquando fieri animæ cum periculo.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT. X.

Quid dicendum de duello utilitatis publicæ cauſa ſuſcepto?

UTi fortitudo citra juſtitiam eſt culpabilis, ita ſi cum judicio recte rationis ſit conjuncta laudabilis erit. Maxime illa, quæ patriæ fit amore, defendendi illius gratia, majoriſque malorum acerbitatis propulſandi. Adeo quidem ut dulce ac decorum habeatur pro liberatione patriæ mortem intrepide adire, cui vitam & omnia jure debemus. Duellum igitur utilitatis patriæ cauſa ſuſceptum non ſolum juſtum eſt, verum etiam ſummopere laudandum. Quale fuit Manlii Torquati cum Gallo, apud *Liv. lib.* 23. Horatiorum ac Curatiorum fratrum inter Romanos & Albanos apud *Liv. lib.* 1. *Val. max. lib.* 6. *c.* 6. Et ſuadet hoc ratio naturalis cujus inſtinctu, quivis tenetur pro aris & focis ſtare, ac quam minimo fieri poteſt, liberos, parentes, amicos ſocios, bona, tueri, neque detrectare redemptionem ſecuritatis ſuorũ, etiam ſanguine proprio. Hoc ipſum

etiam

etiam ubique laudat jus civile. Quicunque ita moritur, non moritur indecore, verum in perpetuum per gloriam vivere intelligitur. §. *filii. Inſtit. Excuſ. Tutor.* & quicumque ſupervivit honoribus ac præmiis afficiendus *l.* 35. *D. de Relig. & ſumpt. funer.* unde Patriæ amor quoque ſemper dulcis eſt *l. habebat. de leg.* 3. in tantum ut non ſolum ſit libere relictum pro ea pugnare, verum etiam ut omnino incumbat: ut late *gloſſ. in l. veluti. D. Juſt. & jur. & in l. fallaciter cod. de Abolit.* Conſentiunt etiam canones, quæ multis in locis commendant defenſionem patriæ, aliorumque in genere. *c. Qui poteſt. c. Ab imperatoribus. c. Fortitudo.* 23. *q.* 3. & *can. ſi nullam. cano. omnium.* 23. *q.* 5. Neque ſacra pagina contrariatur, quæ exemplo davidis ac Goliathi demonſtrat, duellum patriæ cauſa ſuſceptum, omnino non eſſe illicitum. 1. *Samuel.* 17. I. Nullum enim in actione tali committitur peccatum. Publica tale duellum ſuſcipitur auctoritate, aggreditur miles reipublicæ hoſtem, quem licite poteſt interimere, eum interimit non privatæ vindictæ cauſa, ſed publicæ gratia utilitatis. Quod tamen hoc in caſu

pro-

Digitized by Google

probamus, ſi Reſpublica juſtum gerat bellum, neque ſatis habeat virium quibus hoſti reſiſtat, reſque ſit deſperata niſi ſuſcipiatur hoc duelli genus, in quo illa pars victoria potietur, cujus miles evaſerit victor. *Azor. Inſt. Moral. part. tert. l.* 2. *c.* 5. Nec juvat dicere, non eſt tantum negotium collocandum in capite unius. Immo quia res eſt deſperata, præſtat eam ancipitem facere in unius vita, & non totum exercitum ducere certum in exitium. Verum, inquit, Martyr, non eſt deſperandum. Immo replicamus, cogitandum eſt Deum non modo miraculoſo in dies operari, ideoque non eſſe eum tentandum, quod fit ſi cum paucis capitibus velim de ſumma rei cum pluribus confligere: etiamſi enim æque Deo poſſibile per paucos quam per plures liberare: tamen, ſi ratione prudenti, ac conſilio rem reputemus, non confugiendo ad miraculum, facilius erit æqualem ſuperare æqualem, quam ab imbecilliore ſuperari. Et certe ſacra pagina, quando tales refert liberationes, in quibus pauci ſuperarunt plurimos, circumſtantiis ſatis notat illas factas ſpeciali providentia, ac extraordi-

naria

Digitized by Google

naria potentia divina. Addimus, neque eum deſperare, qui talibus utitur mediis quibus ad finem exoptatum ſtudet pervenire, qualia ſunt, quando de ſumma rei paria inter ſeſe committuntur militum.

II. Si multis licet contra multos pugnare, quidni licebit uni contra unum, ubique enim eſt eadem juſtitiæ cauſa ſi modo ducis auctoritas & conſenſus accedat, quem omnino hoc in caſu requirimus.

III. Unum præſtat perire, & non totum exercitum, aut unum periculo ſubjici, ut totus exercitus iſti eximatur periculo. Chriſtianum etenim eſt, quam minima ſanguinis effuſione redemptam velle libertatem, quod eveniet ſi modo explicato duellum ineatur.

IV. Princeps qui viribus ac copiis impar eſt, tenetur ſibi ſuiſque conſulere, ac in conſcientia minore malo, majus avertere. Hoc facit, quando hujuſmodi conflictum inſtituit, quæ pars quædam eſt juſti belli, ex parte illius principis laudanda, quo caſus dubius in ſpem transfertur victoriæ.

Digitized by Google

CAPUT. XI.

Duella particularia ab hoſtibus oblata, num accipienda?

UTi bellum non eſt juſtum, ſi ſuſcipiatur vana de cauſa, ita duellum etiam eſt injuſtum, ſi nulla ejus ſubſit ratio. Itaque,

Dicim. I. Si milites utriuſque Ducis exercitus deſcendant in certamen, cauſa voluptatis, aut tentationis virium, duella ſunt illicita. Qualia illa fuere certamina de quibus *Diodor. Sicul. Hiſtor. libr.* 5. ubi refert Gallos ſolitos inſtructa acie procurrere, & optimum quemque ex adverſariis ad ſingulare certamen provocare. Ratio. 1. eſt, quia finis eſt ineptus & vanus, cujus gratia non licet ſanguinem effundere humanum, ut eſt in *can.* 1. *de Torneam.* Certaminis, hujus exemplum eſt inter Joabi milites & Abneri, utrinque miſſis duodecim. Ratio. 2. eſt, quia ideo ſuſcipitur duellum, & bellum, ut patria poſſit ab hoſtium copiis liberari, hoſtis damno affici. Verum illis concurſibus vix eſt ut diminuantur hoſtium

Digitized by Google

hoſtium copiæ, aut vires frangantur; quia pauciſſimi inter ſeſe concurrunt. Ergo in totum illi concurſus condemnandi.

Dicim. 2. hujuſmodi conflictus particulares iniri poſſunt, ad conſervandum bonam famam in exercitu hoſtili. Ratio. 1. eſt, quia fama bona fortitudinis plus ſæpe timoris incutit hoſti, quam res ipſa aut ratio. Præſumpta enim ac prævia de Regis fortitudine, ejuſque militibus opinio, multum poteſt in exercitu hoſtili. Ratio. 2. eſt, quia niſi talia certamina acceptentur, hoſtes fient audaciores, dum exiſtimabunt noſtros milites aut præ timore nimio hujuſmodi conflictus non admittere, aut quia numero militum deſtituuntur, detrectare. Ad tale duellum in obſidione Daventrienſi, eques nobilis Albanus à partibus Hiſpanorum in exercitu Principis Mauritii ſingulos provocavit, vetante Principe Illuſtriſſimo ne quis cum eo congrederetur. Obnixe tamen veniam petiit à Principe Nobilis Ludovicus à Cathulle, filius Domini de Ryhoven à Gent, ut liceret cum iſto homine ſuperbo, quique præ ſe noſtros contemnebat milites, congredi,

gredi, ac tandem hoc precibus impetravit. Itaque lanceis congrediuntur, quibus cum nihil efficerent, gladiis certatur, donec tandem Albanus eques manu truncatus, ac victus, ſuæ temeritatis juſtas dedit pœnas, refert hoc *Meteranus lib.* 16. *ſuæ hiſt. edit. noſtr. p.* 317. cui exemplo non diſſimile duellum quod initum inter Thomam albanum, centurionem, & inter optionem præfecti turmæ equitum Norrits, qui loco. D. Norrits comparuit, certis ſub conditionibus. Pugnatum ibi diu in conſpectu utriuſque exercitus, lanceis ac gladiis, obſidibus antea datis. Et quidem æquo pugnatum eſt marte, illæſo utroque, donec tandem ſecundum conditiones antea latas dirempti, ſibi poculum propinaverint, ac diſceſſerint. *Meteren Hiſt. lib.* 10. fol. 191. Ad quod duelli genus, num referri poſſit iſte conflictus initus noſtris in partibus inter generoſiſſimum Dominum de Breaute, & Leckerbeetjen, neſcio an affirmare auſim. vide. de eo judicium *Meterani*, *lib.* 22. *p.* 444. *ſuæ hiſtor*. Ratio. 3. eſt, quia iſti conflictus tendunt ad utilitatem exercitus; victoria facilius obtinetur, ac commodius, ala-

critas creſcit, ac augetur. Si enim noſtri videant hoſtes ſuperatos dum concurritur numero innumeri, jam idem judicium faciunt, ſi confligant toto cum exercitu, proportione ſcilicet ſervata geometrica. Et ſic quiſpiam ex limitaneis militibus Chriſtianorum cum Turcarum aliquo, in finibus Ungaricis & Turcicis, facta duelli indictione, & armorum genere, congreditur. Hoc præterea noſtro in caſu obſervandum venit, uti miles cum milite congredi poteſt, ad bonum publicum, ita dux ab hoſte ad certamen provocatus, ſiſtere aliquando ſe poteſt, ut ut ſuorum parcat ſanguini. Sic Carolus rex Neapolis Petrum Arragoniæ Regem ſingulari pugna provocavit. Thomas Epirotarum dux Joannem Noritium Angelorum ducem, quemadmodum & olim Æneas Turnum apud *Virgil. Æneid. lib.* 12. quem poſtmodum ſingulari monomachia vicit & interemit. Sub cautela tamen duci illud permittitur ſi non temere ſe ſiſtat: ne ſi forte occubuerit, exercitus animum deſpondeat. Proinde prudenter egit Carolus V. quod Franciſcum I. Galliarum Regem provocantem non fuerit ſecutus. Et Auguſtus

qui

qui ab Antonio provocatus maluit claſſe quam corpore congredi. & Selymus imp. Turcicus, propter exercitus diſſenſum congredi cum fratre Ancomathe, abnegabat.

Dicim. III. Nullus militum cum hoſte ſuo poteſt congredi, idque propter privitas ſimultates quæ inimicitiis publicis ſunt commixtæ. *vid. Clementis VIII.* conſtitutionem apud *Barboſam in collect. ſuper concil. Trident Seſſ. 25. c. 19. de reformat.* Ratio. 1. eſt, quia non tam eſt iſta defenſio licita, aut offenſio legitima, quam quidem vindicta. miles autem non poteſt ſeipſum tanquam privatus vindicare. Ratio. 2. eſt, quia patriæ utilitati non conſulitur ſi magis privatum bonum ſpectetur, quam publicum: cum in omnibus actionibus noſtris publica utilitas præferenda ſit privatæ.

CAPUT. XII.

An patrem patriæ Proditorem liceat interficere?

PRivata perſona in perduellem publica eſt, ac quiſque in proditorem miles.

les. Unde quæſtio mota à veteribus interpretibus ad *l. 2. & 3. D. Juſt. & Jur.* utrum patrem patriæ proditorem liceat interficere? Quamvis autem negativam teneant plurimi, & caſuiſtæ, & juris-conſulti, ut *Balduinus lib.* 4. *c.* 1. *caſ.* 14. *Gilhauſen Arbor Crim. c.* 2. *tit.* 12. *a* 43. aliique citati à *Berlichio concl.* 12. *part.* 4. *art.* 16. 17. Exiſtimamus tamen de jure civili, ac divino affirmativam veriorem eſſe. Et quidem de jure civili probatur illa ſententia. 1. Quia filiis licet pro ſui defenſione parentes vim inferentes, & immoderate caſtigantes interficere, *Berlichius concluſ.* 12. *part.* 4. *a.* 16. multo magis quando patriæ vim inferunt, licebit, patriam contra illos tueri, eoſque occidere: plus enim tenemur ad defenſionem patriæ, quam defenſionem noſtri; cum ratio inferior cedat ſuperiori. 2. Quia patriæ potius quam parentibus eſt parendum; in ea vita datur, pro ea illam effundere iterum requiritur, cujus ſalvandæ gratia non ſolum dulce eſt mori, verum etiam glorioſum. *l. Poſtliminium*, §. *filius quoque D. capt. & Poſt. Reverſ. l. Minime*, *D. capt. & ſumtibus fun.* §. *filius inſtit. Excuſ. Tutor.* 3. Quia major

major intercedit obligatio, major nexus inter nos ac patriam, cui naſcimur, quam inter nos ac parentem *l.* 1. §. 15. *D. de ventre in poſſ. mitt. l. veluti D. juſt. & jur.* longe enim ſtrictiori & altiori debito pars obſtringitur toti, quam effectus ſuæ cauſæ. Eſt autem civis pars reipublicæ, inquantum ipſa eſt unum corpus in quo ipſe membrum, & filius eſt effectus parentis, à quo ortum ſuum ducit. Quiſque igitur ſuam rempublicam tenetur præferre parenti, quia vitæ, quæ parenti præponitur. *Leſſius de Juſt. & Jur. l.* 2. *c.* 1. *dub.* 3. Varia autem ex jure civili in contrarium adducuntur à doctoribus. Objic. 1. *Novell.* 12. *c.* 2. *Etſi pater legum contemptor & impius ſit, eſt tamen pater.* Reſp. 1. loquitur in hâc novella imperator de alimentis, quamdiu pater in vivis eſt, ac lege permittente ſuperſtes, quæ tenetur ei filius ſuus ſuppeditare. Reſp. 2. Alimenta Patri quidem præſtanda, ſi legum ſit contemptor & impius, id eſt ſi nefarias & inceſtuoſas contraxerit nuptias, de quibus ſceleribus loquitur imperator; quando parentem vocat *impium* & *legum contemptorem*, ut probat manifeſte caput 1. ejuſdem

dem novellæ. Ubi dicitur pater *amare contra leges, agere quæ impia & ſceleſta ſunt*. Non vero hoc trahendum ad alia majoris momenti crimina, quæ reipublicæ reſpiciunt interitum, ut ſunt rebellionis, læſæ Majeſtatis, ac ſimilia alia. Objic. 2. Amor Paternus & Affectus tantus eſt, ut à nullo ſuperetur. *l. final., in init. Cod. Curat. Furios.* Reſp. Imperator Juſtinianus, hâc conſtitutione, tantum indicare vult, parentes intime ſuos amare liberos, neque quem eſſe extraneum, qui liberos majore proſequi affectu aut poſſet, aut vellet, quam parentes. Sed hinc male deducitur, quod non liceat ſeſe opponere parenti, dum parens affectum omnem abjicit reipubl. & per conſequens etiam filiorum. Non enim amare filios eſt dicendus qui id committit, ex quo ſecundum leges ipſis filiis pœna infligitur, quale eſt Majeſtatis crimen, ac perduellionis. Objic. 3. *l. 9. D. Obſeq. parent. & patron. liberto & filio ſemper honeſta, & ſancta, perſona patris ac patroni videri debet*. Ergo patri videtur parendum. Reſp. 1. quamdiu pater paterno fungitur officio, ac officio patroni patronus; id eſt honeſte,

&

Digitized by Google

& inculpate ſeſe gerunt prædictæ perſonæ adverſus filios, ac libertos; tamdiu filii ac liberti, amorem, reverentiam, affectum ex officio ſecundum jus civile iis exhibere, ac præſtare coguntur, ne videantur, aliqua ratione ingrati erga eos quibus vitam & omnia debent. Præterea ideo ſancta Patris perſona ac patroni dicitur, quia uterque præſumitur bene velle ſuis, & conſilia ſuggerere ſaluberrima. *l. ſi Pater C. de ſponſalib.* Itaque ſi male velint ſuis, affectent liberos aut libertos è medio tollere, ceſſat cauſa finalis, quia ratio legis ceſſat. *Argum. l.* 2. §. *final. D. Donat*: Quod etiam magis hac confirmatur ratione. Si patria ſolvitur poteſtas, quande parens eſt perſona inhoneſta. *Novell.* 12. *c.* 2. cur non eodem jure illa reverentia non amplius eſt parenti debita, quando in patriam animo eſt hoſtili. Reſp. 2. Patri quidem parendum, ſed tamen magis patriæ. Unde *Aul. Gell. noct. Attic. l.* 2. *c.* 7. tradit non eſſe obediendum patri turpia imperanti, vel contra patriam. Objic. 4. *l.* 1. §. 28. *D. ſenat. Silan.* Reſp. lex illa loquitur de ſervis, & ſapit antiquum illud jus Romanorum, quod ſeverum nimis,

Digitized by Google

mis, quo dominis licitum erat ſervos impune occidere: itaque ſervi potius pati debebant ultimum ſupplicium, quam ut dominos ſuos interficerent; quod tamen moribus Chriſtianorum non admittitur. Alia igitur ratio eſt ſervi, alia filii; alia ratio defenſionis in privatis injuriis, de quibus lex illa loquitur, alia defenſionis reipublicæ, ac communis utilitatis, cujus gratia multa introducta, quæ alias non obtinent. Ut E. G. ſervum torqueri adverſum proprium dominum illicitum, attamen permiſſum in crimine majeſtatis.

Objic. 5. Pater genuit, itaque fides, natura, dilectio, jubent, patri parcendum. Reſp. verum quidem pater genuit, ſed & patria genuiſſe dicitur. *Petrus de Ancharan. Conſil.* 75. *num.* 5. unde forte ſuavis & ſuaviſſima dicitur *in l.* 101. *D. de leg.* 3. quem caſem *Cicero lib.* 3. *offic.* ita explicat. *Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam perdere conabitur pater, ſilebit & filius? immo obſecrabit patrem ne id faciat: ſi nihil proficiet, accuſabit, minabitur, & ad poſtremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit. patriæ ſalutem anteponet patris ſaluti. Obiic.* 5. *l.* 38. §.

9. *D.*

9. *D. ad leg. Jul. Adulter.* ubi Papinianus reſpondet, non licere liberto patronum ſuum in adulterio uxoris deprehenſum interficere, tametſi alios impune interimere poſſit, & ratio ſubjungitur; quoniam cujus famæ, multo magis vitæ parcendum eſt. Reſp. 1. A jureconſultis aliquando allegatur ratio, quæ iſto quidem in caſu procedit, non tamen adeo generalis eſt, ut in omnibus caſibus locum habeat. ita vaſallus famæ ſuperioris parcere tenetur, attamen ad ſui defenſionem dominum occidere poterit, ut tamen feudi privationem non incurrat. Reſp. 2. Etiamſi communiter libertus teneatur parcere vitæ patroni, filius vitæ parentis, non tamen inde efficax deſumitur argumentum; quia uterque poteſt à jure communi recedere propter bonum publicum, habitaque ratione fractæ pacis. tum enim communis ſalutis gratiâ jura aliquando aſpera relaxantur, ut ſupra in exemplo ſervi adnotatum, & porro notant canones *c. hac quippe.* 3. *q.* 6. *c. ubi non, Deſponſat. impuber.* Neque diſſuadet hoc faciendum jus ſacrum, à quo nunquam recedendum erit. Ratio 1. inde petita hęc

eſt;

eſt; quia cauſa Dei quivis tenetur parentes abnegare ac religioni poſtponere; itaque cuivis licitum dicere patri non novi te, nec curo te, Deut. 33. verſ. 9. per conſequens, ſi neceſſitas id exigat, etiam licebit occidere. quid ſi enim pater religionis hoſtis acerrimus ac adverſarius ſit, non parcet ei oculus filii ſed omnes abiiciet affectus, non aliter ac Chriſtus, quando matri ſuæ dixit, non novi te. 2. Ratio deſumta eſt, ex illo Chriſti, quicunque parentes non deſerit, & odio proſequitur mei cauſa, & propter nomen meum, me non eſt dignus. Itaque ſi licitum parentes odio proſequi Chriſti gratia, non ut ſunt parentes, verum ut oſores Dei, quidni eos ut tales licebit interficere. Benedictus, inquit Pſalmiſta, qui tibi retribuit, ſicuti feciſti, benedictus qui parvulos tuos ad lapides alliſerit, id eſt vindicaverit ita ſevere eccleſiam Dei. 3. Ratio deſumta eſt ab exemplo Levitarum ac ſacerdotum quibus Deus Dixit. Sumat ſibi quiſque gladium, ac interficiat ſibi propinquum & amicum ſuum. Exod. 32. verſ. 27. ſcilicet factum hoc cum Iſraeliticus populus tardante Moyſe in monte vitu-

lum

Digitized by Google

lum adoraſſet. Illo tempore ſine dubio filius parentem, parens filium interfecit. Et licet in loco citato non exprimatur Pater & Mater, ſed tantum Frater, amicus & proximus; tamen ex loco Deuter. 33. verſ. 9. ſatis colligitur, Moyſen nominaſſe etiam Patrem & Matrem; aut ſaltem Levitas mandatum Dei de occidendis vituli cultoribus rectè ex pio zelo ita fuiſſe interpretatos, ut etiam Patrem & Matrem complecteretur. Jure igitur divino tale quid admittere non omni in caſu illicitum judicatur.

CAPUT. XIII.

Quid dicendum de duellis ſeriis extra judicia Gloriæ cauſa ſuſceptis?

SEmper fuit & etiamnum eſt, populorum circa mores, & inſtituta diſſenſus; quorum alii ſeſe bellicoſiores autumant reliquis, alii morum gravitate ac prudentia ſe alios ſuperaturos confidunt. Unde in exercitu diverſas nationes continente, indies de præeminentia, ac præcedentia oritur controverſia. Æmulatione

Digitized by Google

tione etenim gloriæ ductæ, ſingulæ ſibi primam in hoſtem eruptionem largiri deſiderant, ſe ſolas pares exiſtimant quæ hoſti pares eſſe poſſint, ſi non ſuperiores. Neque alio ullo modo iſtis litibus finis imponitur, niſi ſortibus judicium fiat. Et hæc quidem publicè in exercitu obtinent. Verum nec iſtæ ceſſant ſimultates inter ſingulos ſingularum nationum, ſemper alios ſpernentium, ſuos commendantium; adeo quidem ut ſæpe hoc negotium congreſſui dederit occaſionem; non unius, non duorum aut trium, ſed legionum concurrentium ad conflictum duorum, aut ſaltem paucorum. Teſtis eſt noſtra patria, noſterque exercitus, ut cuivis notum. Hinc inter cætera Imperatoris exercitus illa cura, ne conjungantur in caſtrametatione, iſtæ nationes, neve tentoria habeant vicina, quarum odia internecina, quæque quam maxime, armis, fortitudine, gloria de primatu contendunt. Attamen tanta non poteſt eſſe ſollicitudo aut cura ut omnem antevertat & avertat depugnandi occaſionem, quin etiamnum ſæpe inveniantur in caſtris qui pro nationum decertent fortitudine. Quæritur igitur de tali

genere

genere duelli, num jure aliquo admittendum? Ita quidem nonnullis videtur, qui aliquid gloriæ exiſtimant tribuendum. Ut *Dec. conſil.* 487. *num.* 8. qui conſuluit pro Ludovico Belgiojoſio comite, contra Comitem Aloyſium Gunzagam in controverſia orta occaſione obſeſſæ civitatis Laudæ, quando dixit Belgiojoſius Venetis ſervientes eſſe poltronos: conceſſa enim fuit illa Monomachia inter utrumque. Nobis tamen videtur ſalvo meliorum judicio iſta duella eſſe improbanda. Etſi enim aliquid dandum eſt gloriæ, ut glorioſum ducitur pro patria mori; inglorium tamen eſt mori velle ſine patriæ defenſione, tuitione, aut utilitate. Tales potius obſunt patriæ commodis & ſuorum, cum poſſent vitam reſervare ad meliora tempora, & occaſiones licitas, ut ita ſua virtute patriæ eſſent emolumento, ſuis fortiter pugnando decori. Non enim ſemper perfecta fortitudo eſt, gladio & arte velle contendere, niſi id fiat in hoſtem, idque tempore idoneo, quo in exercitu noſtro opus eſt auxilio. Ibi pedem pedi affigamus, ac reapſe oſtendamus, quam ſimus in armis ſuperiores mi-

litibus

Digitized by Google

litibus alterius nationis, qui in armis ſuperiores nos antea jactabamus; ut ita non ſolum videri, ſed eſſe fortes comperiamur. Aliter, ſi deſint in hoſtem depugnandi occaſiones, in quibus res ac eventus rerum geſtarum experimento eſſe poſſent, ceſſandum, neque gladii in ſocios ac confœderatos, etiamſi alterius nationis, exacuendi. Suffecerit & omnibus, & etiam ſingulis per omnia ad perfectam fortitudinem lex & favor imperii. *Novell.* 17. *c.* 13.

CAPUT. XIV.

Duellum ſerium oſtentationis cauſa num admittendum?

EA humanæ conditionis eſt imperfectio, ut ſanguinis humani effuſione ac cædibus ſubinde paſcant & oblectent oculos, vireſque oſtendant. Exemplo ſunt illa duella in Iſlandia, etiamnum hodie uſitata, in quibus victus cenſebatur qui cruore prior tinxiſſet humum. teſte *Aragrimo Jonæ in Deſcrip. Reip. Iſland.* Et illa in Anglia, non ita ante multos annos (an lege licita, an per conniventiam,

niventiam, quod nobis ſit veriſimile) uſitata, in quibus gladiatores cæſim depugnabant, donec alteruter vulnus accepiſſet. Exemplo fuêre tot commiſſiones veterum, beſtiarum cum beſtiis, earumque cum mancipiis. Et quod ſpectaculum Barbaris ac feris potius, quam hominibus rectæ rationis dignum, digladiationes factæ gladiatorum in foro, qui ſtrictis mucronibus audaciæ ac virium gratia oſtentandarum, populi explebant animum. Quarum adeo avidi fuêre nonnulli imperatores ut potius gladiatoribus adeſſe, atque ex eorum Catagogio prodire mallent, quam cum ſenatoribus verſari in curiâ. Teſtatur hoc de Commodo Marci filio *Horodian. lib.* 1. Verum quidem eſt, iſta ſpectacula ac duella jure quaſi naturæ fuiſſe introducta, ut illud jus naturæ accipitur pro aliquo inſtinctu, qui oritur ex ſenſualitate, in quantum illa ſenſualis inclinatio proveniens à principiis naturalibus inducit ad experientiam virium corporalium, ac gloriam aliquam conſequendam. Ut vero ulterius tendit, ad læſionem mutuam ac vulnera, in tantum natura ab iis abhorret ſpectaculis, eaque ratio impro-

Digitized by Google

probat naturalis. Itaque talia duellorum genera, illicita de omni jure exiſtimamus. Certum hoc eſt de jure civili, quod per Chriſtianos imperatores correctum (antea enim conſuetudine obtinebant) hâc in parte eſt æquiſſimum. *Prob.* 1. Quia duella iſta, nihil aliud ſunt quam gladiaturæ, quæ ſunt ſublatæ *per l. unic. C. Gladiator. Tollend.* ubi ita Imper. Conſtant. *Cruenta ſpectacula in otio civili & domeſtica quiete non placent: quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus.* Prob. 2. Quia exploratio virium ac fortitudinis debet eſſe citra injuſtitiam: fortitudo quippe ea ſolum dicitur, quæ cum virtute eſt conjuncta, eaque ſolum laudabilis ut loquitur. Imper. *Novell. 69. §. 1.* Prob. 3. à ſimili. Quia iſta ſpectaculorum genera ſunt prohibita, in quibus urſi committebantur cum hominibus, aut alia ferarum genera *l.* 11. *C. Feriis.* Ergo etiam concurſus gladiatorum. Eadem enim ratio, quæ allegatur in hâc conſtitutione, etiam habet locum in gladiatoribus, *lacrymoſa quippe hæc omnia ſunt ſpectacula.* Prob. 4. Quia jure civili inter ludos non referimus, quæ ultra luſum progrediuntur, neque ſunt exerci-

tia legitima, unde oriuntur crimina, ac effectus alii indigni. §. 9. *proœm. D.* talia autem ſunt illa duella, in quibus non ſolum ad vulnera, verum etiam ultra vulnera progredimur, id eſt nonnunquam ad cædes. Objic. *l. unic. Cod. Athlet.* in quâ civilium munerum vacatio conceditur Athletis, qui merito in ſacris certaminibus ter fuiſſent coronati. Reſp. loquitur conſtit. allegata de luctatoribus, qui citra culpam ſunt conſtituti, neque damnandi, in quantum ipſorum exercitia tendunt ad valetudinem promovendam, ac vires exercendas, non autem ulterius. Alia autem eſt ratio conflictus ad oſtentationem parati, in quo vulnera infliguntur, vireſque in tantum non augentur, ut plane debilitentur. Objic. 2. Pancratiaſten extra cûlpam eſſe jure civili, etiamſi interfecerit adverſarium: ceſſaret enim eo in caſu lex Aquilia, in quam venit non ſolum dolus, ſed & culpa *l. 7. §. 4. D. Ad leg. Aquil.* Reſp. ideo dicitur in luctatore aut pugile ceſſare Aquilia, quia caſu fit damnum, ac præter voluntatem ejus, qui occidit. §. 3. & 4. *Inſtit. De leg. Aquil.* In duello autem gratia oſtentationis ad-

 hibito,

hibito, voluntas eſt, & animus adverſarium ſi non occidendi, ſaltem vulnerandi, quod dolo fit, etiamſi alter in vulnere conſentiat. Argum. *l.* 11. §. 1. *D. Dolo Malo.* Neque diſſentiunt Canones qui improbant omnia duella oſtentationis gratia adhibita. Uti manifeſtum eſt ex *can.* 1. *de Torneament. Ubi ea fieri prohibentur, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ temere congredi, unde mortes hominum & animarum pericula ſæpe proveniunt.* Huc facit conſtitutio *Pii* 5. quæ incipit, *de ſalute gregis*, Anno Domini 1567. calend. Novembr. quam eam ob cauſam edidit, ne ſpectacula ferarum cum hominibus cruenta permitterentur. Eadem autem eſt ratio hominum cum hominibus, quæ eſt hominum cum feris animantibus. Nec deſunt hic rationes plurimæ è verbo Dei deſumptæ, quibus talia damnantur ſpectacula. 1. Quia homicidium vere committit, qui non aliquo caſu, aut infortunio ſed temerario auſu proximum ſuum aut vulnerat, aut interficit. Verum qui congreditur oſtentationis gratia, temerario impetu in proximum inſurgit. Ergo vere dicendus
homicidium

Digitized by Google

homicidium committere. 2. Quia non licet contra rationem atrox eligere medium, neque cum detrimento proximi, imo vitæ periculo finem vanum. Eſt autem finis iſte vanus, quando ſpectaculi cauſa lucentibus concurritur mucronibus. 3. Quia tentare dicitur Deum, qui ſeſe conjicit in aliquod periculum citra aliquam neceſſitatem. Quod agunt illi, qui gladiis concurrunt, citra defenſionem aut vitæ, aut honoris, aut bonorum. 4. Quia illa actio non caret vitio. Quæ ex prava oritur cupiditate, qualis eſt illa, quando congreditur antagoniſta cum ſuo adverſario, aut ex odio, aut ſaltem ut lœdat, ac vulneret ſuum adverſarium; quæ omnia pugnant cum præcepto charitatis, toties à Salvatore noſtro, toties à viris ſanctis Chriſtianis omnibus Chriſtiane viventibus, commendato.

CAPUT. XV.

Num duellum ad defenſionem ſui licitum?

IN tantum humano generi vitam ac ſalutem tueri conceſſum eſt, ut etiam

quibuſdam in caſibus, *juſta occaſione oblata*, id fieri poſſet alterius cum læſione, & quod magis occiſione. Dictat hoc jus naturæ, Civile, Canonicum, Scripturæ. Inſtinctu etenim naturali quicquid vitam habet, ac ſpirat diligens eſt ſui, omneque animal ſimulac ortum habet, ita agit, ut ſe conſervet. Cuique hoc inditum eſt generi, ut ſe, corpus, vitamque tueatur, declinetque ea, quæ ſibi ſunt nocitura, inquit *Cicer.* 1. *de off.* Unde etiam provida rerum parens natura bruta animantia armis quibuſdam munivit, quibus repugnent adverſariis, omnemque vim repellant. Anacr. carm. de muliere ita latine Henr. Steph. interpr.

Tauro ferire cornu,
Equo, ferire calce,
Lepori, valere curſu
Natura dat: Leoni
Dentes hiante rictu. &c.

Nullumque eorum in amorem aut defenſionem ſui eſt cohortandum, quem ſimulac naſcitur trahit ſecum.

Nec

Nec ſolum taurus ferit uncis cornibus hoſtem:
Verum etiam inſtanti læſa repugnat ovis.

Non hæc ſcripta ſed nata eſt lex, quam non didicimus. accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Cicer. pro Milon. idem ex Caſſio probat *Ulpian. in l.* 1. §. 27. *de vi, & de vi armat. Vim vi repellere licere Caſſius ſcribit, idque jus natura comparatur.* Naturæ ſuffragantur leges, quibus jure quis hoc feciſſe dicitur, quod ad corporis ſui fecerit defenſionem. *l.* 3. *D. juſt. & jur. l.* 3. §. *eum igitur. D. vi & vi arm. l.* 4. 45. §. 4. *D. Ad leg. Aquil. l.* 1. §. *cum arietes. D. ſi quadr. paup. feciſſ. dicat. l.* 3. *C. De Sicar.* quibus adde *Ordinat crimin. Carol.* 5. *art.* 139. Sed objic. 1. pugnare videtur cum hiſce dictis, illud præceptum jure conſultorum generale, in quo dicitur, *alterum non lædes.* Reſp. non lædes modo quo injuſto, & legibus prohibito. Ve-

rum quando quis licite ſe tuetur, cum moderamine inculpatæ tutelæ, illud agit quod omnia jura permittunt, ſcil. vim. atque injuriam omnem propulſare. *l.* 3. *D. juſt. & jur.* Objic. 2. § 4. *l.* 45. *D. l. Aquil.* ubi dicitur teneri *l.* Aquilia, eum qui percuſſit lapide quem defendendi ſui cauſa in adverſarium miſerat. Unde conſequitur, eum in re illicita fuiſſe verſatum, dum lapidem vult mittere in adverſarium, quia pœnæ eſt obnoxius. Ubi enim non eſt delictum, ibi non poteſt eſſe pœna. *l.* 22. *Cod. de pœnis.* Reſp, 1. Qui ea ratione hominem interficit, aliquando poteſt eſſe in leviſſima culpa, propter quam actio *l.* Aquiliæ locum habet, qui tamen in tantum dicitur pœna exemptus, in quantum non tenetur legis Corneliæ pœna ſuper homicidiis conſtituta. Reſp. 2. Ideo, qui in adverſarium lapidem mittere intendebat ſui defendendi cauſa, l. tenetur Aquilia, quia aliqua fuit in culpa, forte quod temere, & non ſub juſto moderamine in adverſarium remotum jecit lapidem, vel quod non tam ſe defendendi cauſa hoc fecit, quam quidem gratiâ ulciſcendi, ut eſt in fine §. 4. alias *l. Aquiliâ* multo

modo

Digitized by Google

modo teneri poſſet, ſi omnino juſta fuiſſet defenſio per eumdem §. 4. ubi omnes illi dicuntur innoxii, qui damni culpam dederunt cum aliter ſe defendere nequirent. Objic. 3. regula in l. 3. *cod. de Epiſcopal. Audient.* ubi dicitur *quod quis fecit expectet.* Reſp. accipienda eſt illa regula de doloſo homicida, non illo, qui defenſionis ſuæ neceſſariæ cauſa aliquem interfecit. Concordant cum jure civili etiam canones. Ut eſt c. *interfeciſti de Homicid. volunt. c. non æſtumemus.* 13. *q.* 2. cumque olim canoniſtæ multum diſceptarent, num irregularitatem incurreret homicida, qui ad defenſionem ſui neceſſariam occidiſſet invaſorem, ut plurimi aſſerebant, quorum meminit gl. in c. *ſicut dignum de Homicid.* tandem hâc de re ſopita eſt controverſia, hodieque per Conſtitutionem *Clemens V.* ſublata. *c. unic. Clement. ſi furioſus, aut infans, ſeu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit vel mutilat invaſorem.* Juriſc. & Canoniſtarum ſententiæ, ſuffragatur jus divinum, quanquam Accurſius exiſtimet, jure naturali defen-

Digitized by Google

defenſionem permiſſam eſſe, id eſt jure fori non cœli: qua in re refellitur à *Paul. Caſtrens. Covarruv. cap. ſi furioſus, de Homicid.* aliiſque autoribus, citatis à *Berlich. concl.* 12. *part.* 4. Prob. 1. quia quod naturali ratione permittitur, apud Deum, qui ipſa natura eſt, permittitur: non enim patitur humana cognitio ac recta ratio, juris naturalis non ignara, quicquam permitti, quod apud Deum ſit prohibitum. Neque Deus per ſcripturam legem evertit naturæ, ſed eam magis confirmat. *Covarr. releċt. cap. quamvis pactum. tert. part.* §. *unic. Perkins caſ. conſc. lib.* 3. *c.* 3. *caſ.* 3. Prob. 2. quia homo tenetur vitæ ſuæ conſulere, in quantum poteſt & debet. Lex etenim divina, quæ dicit, *non occides*, non ſolum præcepit, ne alios interficiat, ſed etiam ut ſeipſum defendat & tueatur. Ille vero, qui ſe potius interfici patitur, quam ut adverſarium occidat, non conſulit ſibi quantum poteſt, ſed efficit, ut hæc lex, *non occides*, in propria perſona violetur quâ in re non minus peccat, ac ſi ſibi ipſi manus inferat violentas. Nam qui vitam ſua culpa ac negligentia omittit idem præſtat, ac ſi ſeipſum occidiſſet.

Argum.

Digitized by Google

Argum. textus ad *Epheſ.* 5. *verſ.* 29. Prob. 3. quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam alterius, loquor regulariter, aut ſaltem æque tenetur proſpicere ſibi, ac proximo, ex mandato Chriſti. *Math.* 22. verum, ſi non interficiat invadentem, non ſibi ita conſulit, ac proximo conſulere debuiſſet. Cum enim liceat actum exercere moderatæ tutelæ, ad præveniendam occiſionem ſui proximi, quid ni igitur & hoc licebit, ad evitandam ſui occiſionem. Unde ferunt, Lutherum, interrogatum aliquando num à prædonibus illatam vim ſi poſſet, etiam vellet repellere? reſpondiſſe. *Quid ni ſecure ſumerem gladium, inſtar alicujus judicis, ac me putarem bonum opus perfeciſſe. Bullæus. diſp.* 1. *tribus gener. jur. præc.* Prob. 4. ex lege Moyſis Exod. 22. verſ. 2. 3. &c. ubi Deus dicit: *ſi fur domum effregerit, & in ipſo facto deprehenſus accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis.* Quo in caſu tutelæ inculpatæ moderamen obſervari jubet Deus: nam in ipſo facto deprehenſum, & armatum furem occidere fas eſſe prædicat, quia diſcerni nequit, an venerit animo occidendi, an

vero

vero etiam furandi. Patribus tamen nonnullis diſplicet illud pervulgatum Jureconſultorum, *latronem inſidiantem licet interficere*. Ita enim *Auguſt. lib.* 1. *de libero arbitrio c.* 5. *legem quidem, inquit, non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quomodo iſtos, qui interficiunt, defendam, non invenio*. Et Anabaptiſtis exiſtimantibus, legem illam naturæ de vi repellenda, præcepto Chriſti eſſe contrariam, quod eſt apud *Math. c.* 5. *verſ.* 39. *&* 44. *& Johann. in Apocal. c.* 13. *verſ.* 10. Verum reſpondemus, tuitionem ſui non prohibent iſti textus, neque quem pœnæ apud Deum faciunt noxium; qui defenſionem exercet neceſſariam, ſi modo pravum aliquem affectum non habeat comitem, & ſi animo ferociente & immiti non videatur occidere. Hoſtes igitur illis in locis dicuntur quidem diligendi, quique nos odio proſequuntur amandi, ut ita iſtoc modo vindictæ cupido in nobis coerceatur, non ut legitimus defenſionis auferatur modus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVI.
Quæ dicatur neceſſaria defenſio?

QUoniam autem ſuperius dictum eſt, nefarium non eſſe hominem interficere, *juſta oblata occaſione*, explicandum breviter venit, quæ legitima dicatur occaſio. Illa nobis legitima dicetur eſſe occaſio.

I. Quando defenſio confeſtim fit, & in continenti, id eſt quando in agreſſu ipſo, aut in pugnæ continuatione, flagrante adhuc maleficio, cędes ipſa committur. Itaque ſi rixantes aut depugnantes aliorum interceſſione, ab inuicem fuerint divulſi, poſtmodum vero iracundia ſtimulati, alterum alter invadat, & interimat, juſtam non obſervant defenſionem; ut nec ille qui antea legitime ſeipſum tuebatur. Ratio. eſt, quia jam citra ullum vulneris, aut percuſſionis periculum, id eſt citra neceſſitatem ſe mutuo invadunt. Cui ſuperadde, quod odio occulto, aut vindictæ cupiditate, ſub defenſionis juſtæ velamine, alter

in

in alterum irruat. *Bull. diſp.* 1. *tribus gener. præc. Bocer. de duell. cap.* 10. *a.* 43.

II. Quando defenſio eſt neceſſaria, adeo ut nullum aliud detur evadendi medium, niſi offenſio adverſarii. Ac alterum ſit eligendum, aut certandum, aut moriendum, aut percutiendum, aut interficiendum. Tumque obtinebit illud vulgatum: præſtat prævenire, quàm præveniri. *Parkins caſ. conſcient. lib.* 3. *c.* 3. *caſ.* 4. *Frider. Balduinus. lib.* 4. *c.* 1. *de caſibus circa corpus hominis.* Unde ſi quis aggreſſorem pugnis, aut vulneribus inflictis, ut proſternendo ad terram, cogere, & ſic evitare occiſionem, aut vulneris illationem poſſet, non ei permiſſum erit hujuſmodi aggreſſorem interficere. *Metzgerus conſil. crimin.* 8. non eſt enim hæc juſta & legitima cauſa.

III. Quando eſt animus & propoſitum, nude ſe defendendi, non autem voluntas ſeſe ulciſcendi, ex dolore incitata injuriæ illatæ, aut ſtimulata vindictæ cupiditate. Adeo quidem ut defendens ſeſe lubentiore animo maluiſſet à tali defenſione & offenſione abſtinuiſſe, ſi alio aliquo modo vitæ ſuæ conſulere potuiſſet. *Parkins. loco ante citato. Balduin. ibid.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT. XVII.
An ſi provocans interfecerit provocatum, juſtæ defenſionis beneficio uti poſſit?

GEnerale illud de defenſione legitima problema à nobis ſuperius fuſe eſt explicatum, additæque regulæ, ad quas omnes caſus, qui incidere poſſunt, veluti ad lydium lapidem examinandi. qui ſi in unam illarum impingant, perſonis pugnantibus defenſionis legitimæ privant exceptione. Caſus autem qui hoc loco proponitur talis eſt. Aliquis innocenti primo inſultavit adverſario, qui ut ſe vidit in periculo mortis conſtitutum, ſemet defendendo necem intentat invaſori. Invaſoris in progreſſu rixæ pejor exiſtit conditio, adeo quidem ut niſi ſuum interimat adverſarium, propulſando armatâ manu ipſius arma, in periculo vitæ conſtituatur, certo certius viribus tandem flacceſſentibus plagam accepturus lethalem. Reſp. non poteſt primus ille aggreſſor poſtmodum ſe defendendo licitè occidere adverſarium.

Ratio

Digitized by Google

Ratio. 1. eſt, quia non præſumitur juſtam habere cauſam, qui inſpecto principio, non facit aliquid ad defenſionem, ſed ad offenſionem: verum qui primo aggreditur eum qui nihil attentavit, ratione principii, offenſor eſt non defenſor, & per conſequens culpæ reus. Argum. *l.* 52. §. 1. *D. Ad. leg. Aquil. & l.* 6. *Cod. Ad. leg. Jul. de vi. publ.* Quo etiam pertinet, ut quando agitur de excuſandis delictis, principium & non finis attendatur. *Textus eſt in l. quod ait lex.* 23. §. 4. *D. ad leg. Jul. adult.* quo etiam refer, *lep.* 3. §. *ſcio. D. minoribus.* Ratio. 2. eſt, quia non incipit in adverſarium inſurgere qui ira aliquid facit, ſed qui provocat ad iram, *l. in tribus* 13. *ff. de judic.* Et ille eſt princeps culpæ, à quo incipit malitia. *l. quicunque*, 4. *Cod. ſerv. fugit. l. ſi quis ſervo*, 20. *Cod. furtis*, *& ſerv. Corr.* Ratio. 3. eſt, quia lex non præſumit eum in diſcrimine vitæ fuiſſe, qui ſuapte culpà, ſe vitæ periculo expoſuit. *l. item mela*, 11. *in init. D. ad leg. Aquil.* itaque de ſe ipſe conquæratur, ſibique imputet, quod adverſarium ſua offenſione ſibi quæſierit, *ibid. D. Ad. leg. Aquil. l. nemo damnum*, 151. *D. de*

Reg.

Digitized by Google

Reg. Iur. Ratio. 4. eſt. quia provocato jura favent, ut de occiſo aggreſſore in defenſione non puniatur, & contra aggreſſorem judicant, eumque ex offenſione, non ex neceſſitate quicquid egit, egiſſe præſumunt. Igitur ſi aggreſſorem ſecundum leges licite & debite interficit, illicite, aggreſſum aggreſſor interficiet. *Weſenbec. conſili* 19. *n.* 17. Exiſtimamus autem, etſi jure civili invaſus aggreſſorem impune occidat, etiamſi ab ira deſiſtat, tamen in foro conſcientiæ non ſatis tutum eum fore, quia jam ſaltem deſiſtenti adverſario parcere poteſt & debet.

CAPUT. XVIII.

An æqualitas armorum neceſſaria?

QUando doctores tum caſuiſtæ tum jureconſulti, moderamen inculpatæ deſcribunt tutelæ, in ejus modo exigunt, ſi non omnes, ſaltem plerique, ut defenſionis ad offenſionem, ſit proportio, parque pari referatur, atque eo modo vis omnis repellatur, quo infertur.

Unde

Unde affirmant æqualitatem armorum maximopere ſpectandam in defenſionis legitimæ cauſa ut *Parkins Caſ. conſcient. lib.* 3. *c.* 3. *Caſ.* 4. *Balduin. lib.* 4. *c.* 1. *de caſ. conſcient. circ. corpus hominis.* & juriſconſult citati apud *Bocerum*, *c. x.* Nos verius exiſtimamus ſemper æqualia non eſſe deſideranda aut ſpectanda arma, quod certum de jure canonico, quicquid contra ſtatuant plures canoniſtæ. Idque paret vel ex *Clement. de Homicidio*, ubi dicitur, eum nullam incurrere irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit vel mutilat invaſorem. Non dicit canon, qui mutilat armis æqualibus ſed ſine limitatione, qui mutilat, modo ſit periculum aliquod. Fieri autem poteſt, ut ſit mortis periculum, etiamſi quis lenioribus armis aliquem inſultet. Ergo & licitum durioribus uti contra leviora, id eſt inæqualibus. Conſentiunt etiam leges, quæ indiſtinctim, propulſionem requirunt periculi imminentis. Neque eſt ulla lex, quæ vim æquo Marte propulſandam eſſe jubeat: itaque nec noſtrum eſt id aſſerere. *Novell.* 18. *c.* 5. *in init.* Confirmant hanc ſententiam 1.

Digitized by Google

lex 3. *D. Juſt. & Juræ.* Juncta *l.* 3. *Cod. ad leg. Cornel. de ſicar.* In illâ lege jure quis adhibet inſtrumentum quod ad corporis ſui adhibet tutelam: in hâc lege invaſus licite gladio repellit percuſſorem, ſive gladio in illum irruat, ſive fuſte, ſive lapide, aliove inſtrumenti genere. Hiſce legibus adde *l.* 52. §. 1. *D. ad leg. Aquil.* 2. Quia telo venientem licet interimere, *l. itaque D. leg. Aquil. leg. ſcientiam.* §. *qui cum aliter D. Eod. l.* 2. *Cod. Ad leg. Cornel. de ſicar.* Verum inæqualia arma veniunt etiam nomine teli, ſi modo iis mortis inferatur periculum. Ergo iis licitum occidere. Ita ut exempli gratia, poſſit aggreſſor fuſte, venientem gladio in mortis adducere diſcrimen, pugno ſi robuſtior, ſe defendentem baculo interficere, uti ferunt quemdam fuiſſe Peruſinum, qui uno pugno in capite interficiebat homines & boves. Quidni igitur, liceret huic homini reſiſtere armis, eumque occidere. Objic. 1. lex *providendnm*, *Cod. Poſtulando.* Ex qua lege colligunt interpretes paria requiri ac deſiderari arma. Reſp. Non hic ſermo eſt de neceſſaria ſui defenſione, neque etiam agitur de vita,

ſed tantum ſermo eſt de actore & reo in judicio, in quo alter alteri ſubtraxerat fraudulenter, paris defenſionis copiam, cum utrique ſe defendendi ex æquo debebat concedi poteſtas. Objic. 2. *l. ſcientiam.* §. qui *cum aliter D. leg. Aquil.* Ubi dicitur, qui cum aliter ſeſe defendere non poteſt. Verum aliter ſe videtur poſſe defendere qui invaſorem pugnis tantum ad ſe venientem vulnerat aut interficit. Reſp. ſi vulnere non lethali repellere queat vim ab adverſario ſibi illatam, non debebit ulterius progredi. Verum quia vulnera non poſſunt ſæpe infligi ad modum, (non enim in manu noſtra tenemus mucronem, ſed capulum,) ſi intentione vulnerandi interfecerit aggreſſorem, omni pœna de jure erit abſolutus. *Weſemb. conſil.* 19. *Damhaud. Pract. crim. cap.* 76. *n.* 7. *Berlich. concl. p.* 4. *concl.* 13. *art.* 56. *&c.* Objic. 3. *l.* 3. §. 9. *D. de vi & vi arm.* ubi dicitur, eum *qui armis venit, poſſe nos armis repellere.* Ergo contrario modo, eum qui non venit armis, non poſſumus armis repellere. Reſp. 1. Argumentum apud jureconſultos à contrario ſenſu non procedit, ut vel initiatis notum, multo magis

gis epotis. Reſp. 2. quicumque pugno in nos irruit, bene poteſt dici cum armis ad nos venire, quia illa generaliter armis comparantur, & armorum poſſunt venire nomine, quæ ita nocere poſſunt, ut aut vulnus inferant aut mortem. Quod probat *Weſenbec. conſil.* 19. *num.* 17. & adducit textum in *l.* 1. §. *Divus Adrianus*, *l.* 2. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.* Ubi qui occiderit inferentem ſtuprum quia ſtuprum æquiparatur morti, dimittendus eſt. Neque ab hâc ſententia recedunt rationes Theologicæ, quibus eo quo dictum eſt modo ſemet tueri licet. Prob. 1. Quia licet, avertere malum quod nobis imminet, etiam inferendo malum alteri, qui ejus eſt cauſa: non enim tam inferimus alteri malum, quam quidem à nobis propulſamus. Verum qui invadentem manu robuſtâ, aut baculo, vulnerat gladio, aut ſi aliter mortis immineat periculum, etiam interficit, avertit tantum malum quod ſibi imminet, illudque facit in auctorem redundare. Ergo hoc agit permittente divino jure Prob. 2. Quia homo non tenetur ſufferre dolorem illatum, ſi poſſit eum præpedire, quia ex officio tenetur amore

proſequi carnem, eamque fovere. Verum qui patitur ſe ita percuti pugnis, aut fuſte, ſi alio quo armatus ſit inſtrumento, ut inde periculum immineat mortis, ſuffert illa mala, quæ poteſt præpedire, quæque debet quantum in ſe eſt avertere. Ergo illa omnia perpetiendo non agit quod ſui erat officii, verum quod magis eſt, peccat in ſextum præceptum, *non occides*. Ut enim iſte æger ſeipſum dicitur occidere, qui non utitur remediis quibus vita prorogari poſſit: ita etiam ſui homicida vocandus, qui ſeſe periculo mortis non eximit, avertendo ictus adverſarii, etiam cum ejus læſione, & ulterius, ſi aliter propriæ vitæ conſulere nequeat. Nec reclamat dictum Chriſti, *percuſſori unius maxillæ alteram obvertendam*. Eo quippe in loco nihil aliud vult Salvator noſter deſignare, quam injurias nobis illatas, ſi leves, neque adeo ſint damnoſæ, æquo animo eſſe ferendas, neque ſuper quibuſvis minimis eſſe contendendum. Tum enim præſtat cedere minoribus, quam pertinacius reſiſtendo majoribus ſemet ſubjicere. Alias ceſſabit dictum Salvatoris, ſi majora ingruant mala, quæque grave damnum,

aut

Digitized by Google

aut etiam vitæ noſtræ jacturam inferre poſſent. Quemadmodum *D. Paulus* 1. *Corinth.* 6. damna potius eſſe ferenda quam litigandum, cenſet. Non quod omnino damnet omnes lites contra injuſtos invaſores vel poſſeſſores ejus quod in noſtro & dominio. Verum tantum quod præcipere velit, non ita facile convolandum eſſe ad litigia, præſertim levioribus in cauſis, in quibus ad concordiam quam facile partes adduci poſſent, etiamſi litem non fuerint ingreſſi, aut coram judice conteſtati. Quamvis enim licitum aliquando contendere legitimis mediis pro re ſua, non tamen improbandum factum ejus, qui maluit dominio ſuo potius excidere, quam ut de eo ſæpius litigaret. *Parkins caſ. conſc. lib.* 3. *c.* 3. *caſ.* 2. *reg.* 3.

CAPUT. XIX.

An ab inſultato primus ictus excipiendus?

INter interpretes quæſtio agitatur, num ad legitimam defenſionem neceſſario requiratur, ut aſſultatus pri-

mum

mum ictum expectet, num vero ipſe eumdem aggreſſori inferre primo poſſit? Nobis poſtrema placet ſententia, ſi ſcilicet adverſarius armis munitus aſſultum facere poſſet in alterum eum vulnerando, aut occidendo, & ſi talis ſit, qui ſolitus non ſolum minari, ſed ratione iracundiæ, & animi exacerbati, minas ſuas exequi. Certum hoc eſt de jure civili 1. Quia ad juſtam & legitimam vitæ ſuæ defenſionem, præſens armorum metus, qui in virum etiam conſtantem cadere poſſet, ſufficit, *l. 5. in init. D. Ad leg. Aquil.* Ubi quis ferro petentem occidit, & metu mortis furem. Et *l.* 2. 3. 4. *Cod. Ad leg. Corn. de ſicar.* Ubi gladio venientem, & voluntate occidendi, impune licet interficere. 2. Quia non ſolum impediri poteſt qui occidit, verum etiam qui ſe præparat ad occidendum. *Bald. l. in lege D. locat.* Dicitur autem ſe præparaſſe, qui cum enſe aut ferro alium invadit, etiam abſque percuſſione, ut illi per vim reſiſti poſſit. Quod obtinet non ſolum in offenſa, quæ eſt in actu, ſed etiam que eſt in potentia, ut ex Bald. aliiſque hoc probat. *Weſemb. conſ. 19. n. 14.* Unde pro-

probatis inſultu & provocatione, probata dicitur, juſta defenſio ejus, qui reſiſtit, & etiam occidit. Idem ibid. Ita abſolutum eſſe quemdam nobilem, qui alium ſibi gladio minantem interfecerat, refert *Math. de Affl.* 3. Quia leges jubent ut pro ſalute corporis noſtri tuenda, omnem vim atque injuriam propulſemus. *l.* 1. §. *vim vi. D. de vi & vi arm.* *l.* 1. *Cod. unde vi.* propulſamus autem vim atque injuriam impendentem, non eam quæ illata eſt, ſiquidem illa amplius repelli nequit, id eſt avertimus, non retaliamus. 4. Quia, qui primum ictum excipit, ſe diſcrimini objicit, vel ut lethaliter vulneretur, vel ſaltem ut ita mutiletur, ne poſthac ſit idoneus ſemet contra truculentum defendendi adverſarium, forte quia brachium trajectum, vel manus quâ gladium tenet læſa. Tumque nihil ipſi reliquum foret, niſi ut ab inſultante indignis tractaretur modis, ac tandem occideretur. Proinde jura permittunt, ut malo naſcenti occurratur in tempore, ne poſt exitum, ac cauſam deſperatam, remedia fruſtra quærantur. *l.* 1. *Cod. Quand. lic. unicuique ſin. jud.* idque ſecundum illud tritum: *principiis*

obſta:

Digitized by Google

obſta: ſero medecina paratur. Doctores autem qui contrarium tenent, leges has objiciunt 1. *l.* 52. §. 1. *D. ad leg. Aquil.* ubi Alfenus reſpondit, culpam penes eum, qui prior flagello percuſſit, reſidere. Reſp. in delictis non tam finis & exitus inſpicitur, quam principium, & præparamenta, & ex iis de toto negotio judicatur. Itaque ſi primo percuſſerit, qui auctor pugnæ fuerit & rixæ, penes eum culpa eſt, quia ab eo initium pugna habuit, qui caſus eſt in ſpecie legis objectæ. Verum aliter ſeſe res habet in noſtro caſu, in quo qui ferit adverſarium, non præbet cauſam percuſſionis & delicti, ſed ipſe adverſarius, qui primo gladio, aut alio quo inſtrumento alterum adoritur, eumque conatur vita privare. 2. Objic. *l.* 1. §. 3. *D. Ad leg. Cornel. de Sicar.* Ubi dicitur eum non teneri pœna legis Corneliæ, qui gladium ſtrinxerit, niſi etiam percuſſerit. Reſp. ut judex pœnam legis Cornel. irrogare poſſet, non ſufficit gladii ſtrictura, ſed percuſſio quoque neceſſaria eſt, ut ita judici magis de intentione, & animo aggreſſoris conſtare poſſit, adeoque de abſolutione vel condemnatione facienda, liquere.

Digitized by Google

liquere. Percuſſione enim ſtricto gladio facta, intentio cædis inferendæ ſatis perſpicitur. Ut vero alicui ſe jure defendere permittatur, ſufficit eum in dubio vitæ diſcrimine fuiſſe conſtitutum, quod illi tunc imminere cenſetur, quando ab aliquo, quamvis nulla percuſſione facta, armatâ manu, inſultatur. Terror quippe armorum, inducit vitæ diſcrimen *Weſenbec. conſ.* 19. *n.* 48. Objic. 3. *l.* 1. *Cod. unde vi.* Ubi dicitur, tantum illatam vim propulſare, licitum eſſe. Et *l.* 2. *D. quod metus cauſ.* ubi vis appellatur majoris rei impetus. Reſp. ſatis ſuperque alicui vis eſt illata, quando adverſarius ſtricto mucrone impetum in eum facit, quamvis nondum percuſſerit, aut vulneraverit. Neque ſemper violentia, finis ut adſit requiritur, ſed ſufficit impetus. *Weſenbec. Conſil.* 19. *n.* 48.

Huic noſtræ Sententiæ etiam ſuffragatur jus divinum, pro ſalute corporis noſtri tuenda, talem permittens defenſionem. Quod prob. 1. exemplo furis nocturni *Exod.* 22. legitime interficitur, neque tamen de ejus intentione quid certi ſtatui potuit neque gladio acceſſit, neque vulneravit patrem familias. Tamen

quia

Digitized by Google

quia metuendum erat eum animo accedere occidendi, eumque poſſe nos inopinatos opprimere, noluit Deus, ut primum ab illo nocturno graſſatore expectaremus ictum, ſed ſi eum occidamus, præveniendo, impune nos hoc facturos. Eandemque, quam juriſconſulti, eo loci rationem reddunt Theologi, quia ignoramus, num animo accedat furandi, num vero etiam occidendi. Id eſt, juſtus metus, ac terror in cauſa eſſe poſſunt, cur adverſarium interficiamus. Quod notat *Auguſt. q. 84. in Exod.* Prob. 2. per textum ad *Ephes. 3. verſ. 29.* Nemo Unquam habuit odio propriam carnem, ſervat eam & curat. Facit autem contra hoc dictum Pauli, qui vult primum expectare ictum, in periculo ſeu diſcrimine gravi conſtitutus, quique ſe patitur vulnerari, cum ſe ipſum alio medio, id eſt plagam inferendo, potuiſſet ſervaſſe, & iſti exemiſſe periculo. Igitur ille demum fovet carnem ſuam, qui quantum in ſe eſt, omni ope adnititur, ut ſe ipſum tueatur contra omnem injuriam, defendendo ſemet & ſi neceſſe ſit etiam offendendo: potior enim hoc in caſu noſtri ipſius, quam

Digitized by Google

proximi injuriantis debet eſſe conditio. Prob. 3. quia quando aliquid jure divino mandatur, videtur etiam illud eſſe mandatum, per quod pervenitur ad illud, ſi ſaltem contrarium non probetur. Sed mandatur in ſacra pagina amor noſtri ipſius. Ergo etiam illud ipſum, quo ad amorẽ noſtri pervenimus, eumque oſtendimus. Quod agimus, ſi omnem à nobis avertamus ictum, præveniendo adverſarium, qui eum conatur inferre. Cavendum autem hic quam maxime, ne vel in gravibus periculis a charitate Chriſtianis omnibus commendatâ deviemus, neque injuriam propulſando in exceſſu peccemus, ſed leve vulnus, quantum in nobis eſt, ſi res expediat primum ut nos inferamus ictum, infligamus, & ita deſiſtamus, contenti adverſarium vulnere non lethali impeditum, quo minus in nos inſurgat, noſque ea ratione à periculo imminenti liberatos. Quod ſi enim quis inſultantis manum dextram in ipſa elevatione acinace amputaverit, eumdemque poſtmodum inter fecerit, non ſolum intutus erit in conſcientia, verum etiam coram toto mundo cluet crudelis, nefarius, ac quia circa defenſionis modum

dum peccavit, arbitrario modo erit puniendus. Manu etenim amputatâ citra periculum occiſionis erit conſtitutus. Neque eum amplius poterit aggreſſor aut ferro, aut alio quo inſtrumento nocere, niſi forte ſit ambidexter, vel ſiniſtra prævaleat, quæ ei adhuc illæſa, tum enim aliud foret dicendum.

CAPUT. XX.

Defenſio neceſſaria an licita contra Magiſtratum?

DEfenſio ſui ipſius quæ ſub moderamine inculpatæ fit tutelæ adeo eſt favorabilis, ut conceſſa ſit quibuſvis contra quoſvis, ſervo contra Dominum, filio contra Parentem, etiam ſubdito contra Principem. *Berlich. concl.* 12. *p.* 4. *n.* 29. 30. *Leſſius de juſt. & jur. lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 8. & in quocunque officio quis ſit occupatus, ſi invadatur, poterit ſe tueri, & ſi neceſſitas id exigat, etiam interficere invaſorem. Neque peccabit in conſcientia ſi magiſtratum, non ut magiſtratum, ſed ut privatum prætextu officii, ſibi vim inferentem, repellat. *Obrecht. tract. de neceſ. defenſ. c.* 6. *n.* 33.

Prob.

Prob. 1. de jure civili. Quia vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt. *l.* 3. *D. juſt. jur.* textus loquitur generaliter, neque limitat caſum hunc, ſi invaſor ſit perſona publica, abſtinendum eſſe. Igitur noſtrum non erit limitare aut diſtinguere, ubi lex hoc affirmat omni in caſu. Eſt enim lege ſtatutum, vim atque injuriam licere propulſare. Verum qui magiſtratui, ut privato reſiſtit, vim atque injuriam propulſat. Nihil igitur hoc in caſu facit, quam quod lege eſt ſtatutum, multo magis permiſſum. Prob. 2. de ratione. Vim atque injnriam propulſare juris eſt naturalis, ut colligitur ex *l.* 1. §. *cum arietes. D. ſi quadrupes pauperiem feciſſ. dicat.* Ergo contra quoſvis hoc licitum. Ratio rationis eſt, quia jura naturalia ſunt immutabilia, neque a quoquam immutari poſſunt, neque quiſquam iis eſt exemptus, ſive ſit inferior, ſive ſuperior, ſive ſubditus, ſive magiſtratus. Experietur igitur, & quidem juſte, qui peccat in jura naturalia, effectus jurium naturalium ſubſequentes ipſum delictum. Contra tamen inter caſuiſtas quidam ſtatuunt, qui exiſtimant, ſi perſona invadens ſit

prin-

princeps, aut ſuperior reipublicæ admodum utilis, ego vero parum utilis, teneri me perpeti mortem. Ita *Toletus inſtruct. ſacerd. lib. 5. c. 6. Balduinus lib. 4. c. 1. de caſ. conſc. circa corpus hominis.* quod ita limitat *Leſſius l. 2. c. 9. dub. 8. de juſt. & jur.* opinionem illam tum demum eſſe veram, quando ex interitu alterius ſequeretur magnum reipublicæ damnum. Nos vero ſtatuimus aliquem poſſe quidem perpeti mortem, ſi velit ſuo ſanguine redemptam patriæ ſalutem, & reipubl. incolumitatem, non tamen teneri in conſcientia, quia non peccat, aliter ſi agat. Neque ſuadet contrarium exemplum illud Davidis, 1. *Samuel.* 24. & 26. qui noluit ſocero ſuo Sauli manus inferre. Præterquam enim quod Davidem Saul inſequutus eſt, non ut perſona privata, ſed ut publica, cui non licet reſiſtere, etiam & hoc notandum venit, Davidem non potuiſſe juſte Saulem interfeciſſe, quia non erat conſtitutus in cauſa inceſſariæ defenſionis, aut inculpatæ tutelæ: potüit enim fugere diutius, tumque temporis nihil periculi illi à Saule, qui in tentorio ſomnum capiebat. Non enim privato, eo

in

Digitized by Google

in caſu licuiſſet alium interficere privatum. Quamdiu quippe fugæ locus, fuga oportet ut noſtræ conſulamus vitæ. Neque hic adverſatur dictum *Pauli Rom.* 13. *qui reſiſtit magiſtratui, ordinationi Dei reſiſtit.* Apoſtolus enim ibi loquitur de privato in quantum ſeſe publicis opponit perſonis in rebus ipſorum ſpectantibus officium. Verum noſtro in caſu, perſonam publicam exuit invaſor, itaque ei reſiſtimus tanquam privato vim atque injuriam nobis inferenti.

CAPUT. XXI.

An liceat eum interficere, qui tantum vult mutilare?

IN defenſione licita ſui ipſius non tam neceſſario requiritur, ut præſens ſit mortis periculum, quam quidem ut adſit, aut ut impendat periculum alicujus vulneris, aut mutilationis membrorum. Quod de jure canonum verum autumat *Covarruv. tert. part. relect. c. quamvis pactum.* Ratio ipſius eſt, quia mors & mutilatio membri hoc in caſu ſunt æquipollentia. Ideoque affirmat eum non

eſſe

eſſe irregularem, qui ſeipſum defendens, ab abſciſſione membri aggreſſorem occidit. Et verum hoc eſſe putamus de jure civili, ubi requiritur, non ſemper, ut defendens ſit in periculo vitæ ſed ut ſit in periculo, & diſcrimine conſtitutus. Prob. 1. per. l. 3. *Cod. Ad. leg. Cornel. de ſicar.* ubi dicitur defenſorem propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videri: propriam autem defendit ſalutem, non ſolum qui morten avertit, ſed etiam qui firmitatem ac ſanitatem corporis ſui procurat. Prob. 2. per *l.* 45. §. 4. *D. l. Aquil.*; ubi dicitur, innoxios eſſe, qui aliter ſe tueri non poſſunt. Verum qui eum, qui vult mutilare, interficit, aliter ſe tueri nequit: ſi enim patitur ſe vulnerari, jam nullo modo ſe tuetur, cum beneficio legis uti potuiſſet. Cui adde *l.* 9. *Cod. ad leg. Corn. de ſicar.* ubi quis impune occidit furem, cui ſine periculo ſuo parcere non potuit. Ergo ſi periculum ei immineat, excuſatur. Non autem ei ſolum imminet periculum, qui mortem veretur, ſed etiam qui vulnus expectat. Jam citatis etiam adjunge l. 3. *D. juſt. & jur.* ubi dicitur, jure factum eſſe quod quiſque ob tutelam corporis

ſui

ſui fecerit. Verum qui vulnerare cupientem interficit, hoc agit ad defenſionem corporis, quæ conſiſtit & in propulſione mortis, & depulſione vulnerum. Ergo hoc agit licito modo. Neque ratio eſt in obſcuro; qui etenim membri abſciſſionem impedit, eamque avertit, avertit illud ipſum, quod ex membri abſciſſione ſubſequi poſſet, ſcilicet mortem. Omnia quippe vulnera, etiam levia, poſſunt eſſe mortalia, & in habitu & in potentia. *Covarr.* loco ante citato. Et aliquando contigit è minimo vulnere homines fuiſſe mortuos. Præſertim ſi ſint vulnera capitis, quæ utpote periculoſiſſima ſecundum Hipp. nunquam negligenda à medicis. Neque contrarium ſuadet l. *is qui aggreſſorem. Cod. Ad leg. Corn. de Sicar.* licet enim ille textus loquatur de mortis periculo, alii tamen aliter loquuntur, quos ante citavimus, quoties autem plures textus concurrunt, toties illi præferendi, qui juri naturali convenientiores, qualis eſt ille in *l.* 3. *D. juſt. & jur.* vel aliter ad legem allatam reſponderi poteſt. Ubicumque eſt vulnus, ibi mortis eſt aliquod periculum, ſi non proxime, ſaltem remote, ut

paulo ante dictum. *Weſenbec. conſil.* 19. *n.* 58.

CAPUT. XXII.

An teneatur fugere, qui fugere potuit?

APud doctores in controverſiam venit illa quæſtio: num inſultatus fugere potius debeat, quam aggreſſorem occidere? de qua variæ variorum ſunt opiniones, quas omnes hac unicâ diſtinctione conciliari poſſe autumamus. Aut inſultatus fuga ſibi conſulere poteſt, aut mortis incurrit diſcrimen. Primo caſu fugere tenetur, in tantum, ut ſi non fugiat, ſed inſultantem interimat, homicidii pœnæ ſit obnoxius. *Arbor. Criminal. c.* 2. *tit.* 12. *a.* 26. *Bocer. cap.* x. Ratio eſt, quia ille tantum eſt innoxius, qui aliter ſeſe adverſus vim tueri non poteſt, quam id faciendo quod fecit. *l. ſcientiam*, §. *qui cum aliter D. leg. Aquil.* & §. *injuria autem*, *Inſtit. eod.* Quo faciunt canones, *in Clem. unic. de homicidio.* Et *can. ſuſcepimus*, *de Homicidio.* Idem evincitur ex textu expreſſo in *l.* 5. *in princip.*

princip. D. Aquil. ubi Ulpianus jureconſultus reſpondet eum teneri lege Cornelia, qui cum poſſet apprehendere adverſarium, eum maluit interficere. Unde à ſimili ita licebit argumentari, ſi tenetur pœna l. Corneliæ, qui maluit occidere, cum alio modo potuiſſet evadere, quidni etiam tenebitur, eadem pœna, qui adverſarium interfecit, cum potuiſſet fugam aſſumendo evadere innoxius. Neque contrarium ſuadent textus in *l. 52. §. 1. D. Ad leg. Aquil. & l. 1. Cod. Unde vi.* ex quibus intelligitur, eum etiam, qui non fugit ſervare modum inculpatæ tutelæ. Ibi enim differentia eſt conſtituenda, inter defenſionem bonorum, & defenſionem corporis. In corporis defenſione, qui fugit, tuetur ſuum corpus, & ideo tenetur fugere. In defenſione bonorum, qui fugit, non tuetur bona, & ideo non tenetur fugere, ſed ſi velit, loco poteſt manere. Rejicimus igitur omnino diſtinctionem illam, quam adhibent inter plebeos & nobiles; ac ſi illi fugere teneantur, quia fuga illis non eſt ignominioſa, hi vero non item, quia cum ignominia eſt conjuncta. *Weſenbec. conſil.* 19. aliique eo loco citati. Ratio.

1. eſt, quia circa defenſionem legitimam idem propulſationis modus admittitur in plebeo, qui in nobili. Leges enim generaliter, indefinite, & ſine ulla diſtinctione loquuntur. Ubi autem leges non diſtinguunt, ibi nec noſtrum eſt diſtinguere. Ratio 2. eſt, quia neceſſaria & legitima defenſio juris eſt naturalis; quod jus inter omnes homines, & plebeos, & nobiles æqualiter eſt partitum. §. *jus autem gentium*, *Inſtit. jur. nat. gent. civil.* Ratio. 3. eſt, quia quod eſt in genere iniquum, etiam in nobili, æque ac in plebeo judicatur eſſe iniquum, verum defenſio talis immoderata, & inhumana, ut quis nolit parcere proximo, ſi fuga poſſit ſibi conſulere, etiamſi videatur ignominioſa, eſt in genere iniqua ergo. Ratio rationis eſt, quia iniqua eſt commutatio, ſaltem non omnino æqua, ſi ob tutelam honoris proprii, vitam quis adimat alteri: præſertim, ſi honor ille, ad mores probos minime pertineat, nec reipublicæ utilis ſit futurus. Altero caſu, qui jam explicandus venit ſcilicet ſi fugiendo periculum mortis non poſſit evitare fugere non tenetur. Ut ſi quando inimici inſtant à tergo & ex fuga majo-
rem

Digitized by Google

rem capiunt andaciam & animum occidendi fugientem, vel ſi quando fugans fugientem viribus & pedum celeritate longe ſuperat, ut Hectorem Achilles, jam præſtat aggreſſorem interficere, quam in fugâ cadere. *Covarruv. tert. part. releɛt. c. ſi furioſ. §. unic. Gail. l. 1. pac. publ. c.* 16. Idque legibus civilibus permiſſum eſſe, & etiam jure divino manifeſtum eſt. Primo enim leges permittunt aggreſſorem gladio venientem repercutere, etiam cum ejus nece, *l.* 3. *Cod. Ad l. Cornel. de ſicar.* Itaque venientem fugere non ſemper tenetur provocatus. Secundo, leges permittunt vim atque injuriam propulſare, eique reſiſtere. *l.* 3. *D. juſt. & jur. l.* 1. *Cod. Quando lic. cuique ſin. Jud. ſe vindic.* Verum fugere non eſt propulſare vim eique reſiſtere. Leges igitur provocatum, ſi vi contraria vim evertere neceſſum ſit, fugere non cogunt. Neque impedit §. 2. *Inſtit. ad l. Aquil.* Ubi dicitur, non teneri eum qui latronem interfecit, ſi *periculum aliter effugere non poſſit.* Non enim eo loci, *effugere periculum*, fugam pedibus capeſſere, ſed evitare & avertere ſignificat; & quaſcunque occaſiones periculi evitandas

das & quocunque modo fieri poteſt declinandas, docet. Ratio Theologica eſt, quia non tenetur quis tale evadendi eligere medium, quo ſemet in maximum vitæ inducit diſcrimen, quod facit qui fuga ſe proripit, tergumque ſuum nudum & inerme relinquit adverſario, mucrone infeſto inſtanti. *Perkinſ. Caſ. conſc. l.* 3. *c.* 3. *Caſ.* 4. Huic rationi ſuperadde exemplum, nocturni graſſatoris, quem Pater familias etiam poteſt non fugiendo interficere, neque tenetur ſemet mandare fugæ, ut evitet periculum forte à tali graſſatore metuendum. Nec quicquam obeſt Chriſti præceptum, quando fugiendum eſſe ſtatuit de una civitate in aliam. Quia ibi perſecutio præſupponitur, ubi fugâ opus eſt, non reſiſtentia: præſumitur enim illa perſecutio inſtituta authoritate publicâ legitimi magiſtratus. Noſtro autem in caſu de privatis vim inferentibus ſermo eſt, quibus impune licet ſeſe opponere, ſi fugæ tutæ ac ſalutari non detur locus.

CAPUT

CAPUT. XXIII.
An mortem minantem liceat interficere.

NOn ſemper ad juſtam defenſionem neceſſario requiritur ut ictus ſit illatio, verum aliquando ſufficit tantum adeſſe minas, quæ ſi effectum ſortirentur, mortis periculo ſubjicerent ſe defendentem, quaſque adverſarius more ſuo conſueto ſolitus eſſet executioni mandare. Probatur hæc aſſertio ex jure civili per textum in *l.* 1. *Cod. quand. lic. unicuique ſin. jud. ſe vind.* ubi dicitur de milite nocturno agrorum populatore: *mortem quam minabatur excipiat, & id quod intendebat incurrat.* Et ita abſolutum quemdam nobilem fuiſſe, qui alium ſibi gladio minitantem interfecerat, refert *Matth. de Affl.* Ratio 1. eſt, quia terror armorum præſens ad juſtam ſufficit defenſionem, qui provocatum in ſummum vitæ diſcrimen adducere poteſt. *Gail. pac. publ. lib.* 1. *c.* 16. Ratio 2. eſt, quia melius eſt occurrere in tempore, quam poſt exitum ſemet vindicare. *l.* 1. *Cod. quand.*

Digitized by Google

quand. lic. unicuique ſin. jud. ſe vind. & melius eſt jura intacta ſervare, quam poſt vulneratam cauſam remedia quærere *l. ult. in fin. Cod. in quib. cauſ. in integ. reſt. neceſſ. non eſt.* Ratio 3. eſt, quia aliquando ex minis majus imminere nobis poteſt periculum, quam ex vulnere, quod quis infligit, ſi tantum velit mutilare. Itaque ſi hoc in caſu licet interficere, multo magis illo in caſu: ubi enim majus vitæ diſcrimen ibi major defenſionis juſtæ favor, ubi maximum periculum, ut in minis aliquo in caſu eſſe poteſt, ibi etiam ſine exceptione admittenda defenſio, quæ cum morte invaſoris eſt conjuncta. Exempli gratia, ſi quis alicui minitetur Bombarda globo onerata, jamque eam habeat præparatam, ut momento exonerari poſſet, ridiculum certe foret expectare, donec minas exequeretur adverſarius, cum nulla alia ratione ſemet poſſet defendere, mortemque avertere, quam ſi minantem interficiat adverſarium. *Tolet. inſtruct. ſacerd. lib. 5. c. 6.* Neque contrariatur *l. 1. Cod. unde vi*, in qua lege tantum licet allatam vim propulſare. Minari autem non videtur vis illata, ſed inferenda. Reſp. ſatis alicui

cui vis dicitur illata, etiam quando terror incutitur maximus, vel quando ea inferuntur & adſunt, ad quæ quamproxime mors ſeſe defendentis ſubſequi poſſet.

CAPUT. XXIV.

Utrum pro defenſione pudicitiæ liceat violatorem interficere?

CUm honor præcipuus ſit hominis theſaurus, in tantum ut periculum famæ æquiparetur vitæ periculo, puelliſque & pueris metus ſtupri major eſſe ſoleat, quam mortis, ut expreſſe loquitur *l. iſti quidem* 1. §. *quod ſi*, 2 *D. quod met. cauſ.* controverſum apud doctores, num corpus ejus, qui honorem alicujus violare tentat, ad mortem uſque vulnerare liceat? Quamvis Romanis olim hoc permiſſum fuerit, ut colligitur ex Cicer. orat pro Milone, ubi ita: *adoleſcens, qui tribunum occiderat, volentem vim inferre ejus pudicitiæ, à Mario exercitus imperatore abſolutus fuit.* Et legibus civilibus licitum, per textum clarum in *l.* 1. §. 4. *D. ad l. Corn. de ſicar.* Ubi dicitur, quod is qui ſtuprum ſibi vel ſuis per vim inferentem

rentem occidit, dimittendus ſit. Quod & doctores probant citati apud *Berlich. concl.* 12. *part*. 4. *n*. 40. Et caſuiſtæ communi conſenſu approbant, ut videre licet apud *Leſſium l*. 2. *c*. 9. *dub*. 12. *Tolet. inſtruct. Sacerd. lib*. 5. *c*. 6. *Navarr. lib*. 2. *c*. 3. *n*. 376. adeo quidem ut in foro fori tutus ſit ac immunis ab omni pœna. Exiſtimamus tamen omnia potius tentanda, & ni iſta ſuccedant, patienter quævis ferenda, quam ut qui vim inferre conatur vitâ privetur. Poteſt quidem realis illa vis comprimi reſiſtentia reali, ſi pudica tentatorem pudicitiæ ſuæ alapa abigat, ſcalpris, morſu, ad vitandam infamiam & ignominiam, aut aliter, aſtu ac blanditiis à ſeſe furorem avertat libidinis; non autem ad mortem invaſoris debebit ſeſe extendere illa defenſio. Exemplum illuſtre Virginis Chriſtanæ ſuggerit Keckermannus in ſuis diſpoſitionib. oratoriis ex Chron. Schutzii. Ladiſlaus Poloniæ Rex irruptionem fecit in Marchiam Brandeburgenſem. Qua in eruptione, monaſterium quoddam capitur, ac ſimul virgo nobiliſſima à Bojaro belli duce intercipitur. Is forma virginis ac pulchritudine corporis, quod pulcherrimum

Digitized by Google

rimum habebat, accenſus, eam blanditiis allicere putat, ut ſui corporis faceret copiam, quod ut nequivit impetrare, tandem minis ac vi eam aggreditur. Illa, cum violentiæ aggreſſoris ſe imparem animadverteret, verbis ac lacrymis hominem obteſtatur, ut ſibi parcat, promiſſione addita, ſe tale donaturam munus, quo ſi potiatur, fore ut à nullo unquam mortalium vulnerari poſſet. Bojarus, etſi animo libidinem explere decreverat, virgini tamen pollicetur, donec, quam artem eſſe magicam autumabat, addidiciſſet, fore ut cum vita pudicitiam ſalvam retineret. Age, igitur, inquit virgo, verba adhibebo pauciſſima, quorum efficaciam in meo ipſius corpore hoc momento licebit experiri. In genua procumbit, ac parata mori, clara voce verba recitat latina. *In manus tuas commendo ſpiritum meum domine.* Quorum cum Bojarus eſſet ignarus, putans magica, quibus virgo contra ferrum omne foret munita, acinacem evaginavit, ac virginis exporrectam cervicem, hortantis ut confidentur cæderet, tanquam certiſſimum artis experimentum ſumpturus, uno amputavit ictu.

Quo

Quo facto videt Bojarus ſe mulieris aſtu deluſum, cui pudicitia omni vita erat charior. Ita igitur illa, maluit pati, ut interficeretur, quam ut interficeret, aut ſeſe violentiæ invaſoris opponeret, cum ejus morte. Eſt etiam exemplum virginum Antiochenarum duarum, apud *Euſeb. lib.* 8. *c.* 18. quæ ne ab impuris militibus violarentur ſuaſu matris ſeſe in aquam præcipitarunt. Quæ exempla jam allata, etſi non quoad omnia probanda, tamen ſic ſatis demonſtrant, tali in caſu potius quidvis ferendum eſſe, quam ut aggreſſori vita adimatur. Adde quod ſacra pagina, quando loquitur de virgine, cui vis eſt illata, non ei præſcribat hunc defenſionis modum ut violatorem interficiat, ſed ut non conſentiat (quamquam hic metus alicujus conſenſus eſſe poſſit) renitatur, exclamet, vociferetur, ac præterea nihil. Igitur ſi reſtiterit, ſi exclamaverit, neque quiſquam in ejus venerit auxilium, patienter feret omnia, & extra noxam erit conſtituta. Unde, ſi teneretur pudicitiam tueri, etiam cum morte violatoris, ſi potuiſſet eum interficere, & ita ignominiam evitare, non eſſet extra culpam, ſi tantum

ex-

exclamaſſet. Quemadmodum qui tenetur vitam ſuam tueri, homicida ſui foret dicendus ſi tantum exclamaret, & ita ſe pateretur interfici. Neque hic juvat dicere: *injuria major morte*. Illud enim ita explicandum exiſtimamus, homines ſubinde mallent mortem ſubire, quam injuriam pati, non autem illud ita explicabis, ergo magis debebunt vindicare injuriam, quam vitam, quod falſum eſt. Neque ſtringit illud caſuiſtarum: pudicitia pluris merito æſtimatur, quam opes, igitur ſi propter bonorum defenſionem licebit interficere invaſorem, multo magis propter pudicitiæ conſervationem. In noſtra enim ſententia nefarium eſſe exiſtimamus propter bona quem interficere, ut inferius fuſe ac dilucidè probabitur.

CAPUT. XXV.

An qui ſub moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendit, teneatur pœna pecuniaria?

ETiamſi jure Saxonico ſancitum ac conſtitutum ſit, ut qui alium ad ſui defen-

defenſionem occidit, judici mulctam pecuniariam, & interfecti agnatis integrum Wergeldum ſolvere cogatur. *Boekel. diſq.* 6. *Berlich. conel.* 12. *part.* 4. *a* 4. quam mulctam *Joach. à Beuſt. tractat. de jurejurando* ad homicidium refert caſuale. Tamen exiſtimanus æquiſſimum eſſe, & quidem de jure communi veriſſimum, ne qui alium ad ſui defenſionem vulnerat, aut occidit, impenſas in vulnus, aut alia reſarcire cogatur, ſed plene abſolvatur. *Berlich. concl.* 12. *part.* 4. *a* 1. 2. 3. *Zutphen pract. quæſt. tit. de Homicid.* Ratio. 1. eſt, quia qui utitur jure ſuo legibus permiſſo, non incurrit pœnam legis. Verum qui defendit ſeſe ſub moderamine inculpatæ tutelæ utitur jure ſuo legibus licito. Igitur nullo modo incurrit legis pænam. *l.* 3. *D. juſt. & jur. l.* 45. *§. qui cum aliter D. Ad. l. Aqui.* Ratio. 2. eſt, quia qui caſu interficit hominem, non tenetur leg. Aquil. pœna, quæ tantum erat pecuniaria, multo minus tenebitur, qui neceſſitate coactus, hominem invaſorem occiderit. §. 2. 3. *Inſtit. Ad l. Aquil.* Ratio. 3. eſt, quia mulcta, quæ eſt pæna pecuniaria, a judice conſtituta non poteſt locum habe-

re,

Digitized by Google

re, ubi nihil eſt quod pœnam aut animadverſionem meretur. Ubicumque enim ceſſat cauſa, ibi ceſſat effectus, & ſublato antecedente, tollitur conſequens. Verum ubi quis ſecundum modum à legibus præſcriptum tuetur vitam & omnia, nihil efficit quod pœnam aut animadverſionem meretur. Igitur immunis debebit eſſe ab omni pœna. Ratio. 4. eſt, quia lex non eſt in favorem ejus lata, qui in legem commiſit; neque dignus legis eſt beneficio, qui ejus eſt tranſgreſſor. igitur non debebit vulnerato, qui primo aggreſſus eſt provocatum attribui pecunia, propter impenſas in vulnus factas; aut amicis interfecti *Wergelium*, quia hoc imputandum interfecto, qui ſua culpa malum ſibi procuravit. neque è contrario tenebitur defendens ſeſe interfecto, aut vulnerato in pœnam pecuniariam, quia ei nihil debet, ratione damni illati, qui ipſe auctor & cauſa eſt damni accepti.

* * *
* *
*

CAPUT

CAPUT XXVI.

An defenſio cognatorum, aliorumque ſit Homicidium.

PRæclare loquitur Cicero *lib.* 1. *de officiis*, dum injuſtitiæ duo genera, *unum* eorum, qui inferunt; *alterum*, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam. Quod Ciceronis maximopere conſiderandum venit in illa quæſtione, qua quæritur, utrum quis ad alterius, mortis periculo conſtituti defenſionem ſuſcipiendam jure teneatur? Quamvis autem plurimi hic varias admittant diſtinctiones, ut *Berlich. concluſ.* 12. *p.* 4. *n.* 45. *Arbor. Jud. Crimin. cap.* 2. *tit.* 12. *n.* 27. *Bullæus de trib. general. præceptis. Bacch. vol.* 2. *diſp.* 32. *p.* 1282. *Gail. de pac. publ. p. & in* 4. 39. 68. Dicimus tamen abſolute obligari hominem ad defenſionem alterius hominis, etiam cum periculo ſui corporis, etiam tum quando non poteſt fieri ſine occiſione invaſoris. Quod obtinere putamus omni jure. Leges certe civiles multis in locis, hanc ſententiam comprobant. 1. Quia

natura

natura non tantum inter liberos & parentes, interque alios ſibi ſanguine conjunctos, ſed etiam inter homines latiſſima ſignificatione cognationem aliquam conſtituit. *l.* 3. *D. juſt. & jur.* propter quam nefas ſit pati, ut quiſpiam alterius vitæ inſidietur. 2. Quia homines tenentur, ſi poſſunt, prodeſſe omnibus, tamquam concives magnæ illius reipublicæ, id eſt mundi; ſin minus pluribus, cum quibus in minore conſtituti ſunt republica, ſcilicet in civitate, aut collegio; ſin minus ſingulis, tanquam membra totius; cum beneficio affici hominem interſit cujuſvis hominis. *l.* 7. *in fin. D. ſerv. Exportand.* 3. Quia nihil intereſt jure civili propter cognationem, num quis ſibi ipſi ſuccurrat, num alteri quando vim ab aliquo patitur, ſi in dubio ſcilicet vitæ deſcrimine alter ille ſit conſtitutus; neque aliter evadere vel declinare poſſit mortem. *l.* 8. §. *final. D. quod metus cauſa.* 4. Quia, qui damnum non prohibet, cum tamen prohibere potuiſſet, ſed fieri paſſus eſt, tenetur. *l.* 45. *in princ. D. Ad leg. Aquil.* Ut & Ulpianus reſpondet in *l.* 2. & 3. *D. noxal. action.* Dominum ſcilicet teneri, ſi ſe

 ſciente,

ſciente, & prohibere nolente cum tamen potuiſſet, ſervus aliquem occiderit. 5. Manifeſtum hoc ſaltem eſt in ſervis, & qui ſunt de familia, qui niſi armis, etiam objectu corporis, cum poſſent, auxilium domino tulerint, merito ſupplicio ſubjicientur. *l.* 19. *D. de ſenatus. Silan.* Conſpicuum etiam in vaſallis, qui ſi dominum in prælio periclitantem deſerant, feudum amittere dicuntur. *c. unic.* §. *ſi quis miles*, *tit. De feud. ſin. culp. non amitt.* Neque allegatis contrariatur. *l.* 9. §. 1. *ſed licet vim*, *D. quod met. cauſ. geſt. erit.* Ubi dum Ulpianus ex Pomponio refert, licere cuipiam ab alio pecuniam ſtipulari, & accipere in hunc finem, ut ipſum adverſus hoſtium incurſus tueatur, videtur inferri poſſe, gratuito & ex officio neminem ad alterius defenſionem obligatum eſſe: tum enim turpiter videretur illa pecunia accepta fuiſſe. Reſp. illud procedere, quando quis alteri defenſionis operam ad dies vitæ, vel ad certum tempus locat, quod abſque turpitudine etiam privato homini licitum eſt, ac permiſſum. Verum noſter caſus eſt, quando fortuito & caſualiter quis incidit in hominem qui in vitæ

vitæ conſtitutus eſt diſcrimine. Quem qui non juvat & defendit, cum poſſit, æque in culpa eſſe dicendus eſt, quam is, qui homini iſti vim facit. Neque contrariatur praxis ut notat *Berlich.* loco ante citato, & *Bullæus ibid. & tradit Igneus in l.* 1. §. *ſervi appellat. n.* 136. *D. ad ſenat. Silanian.* ex communi Galliæ praxi pro majori cautelâ, ita obſervari. Ut ſi in conſpectu multorum, qui rixantes prohibere potuiſſent, ne ſe offenderent, homicidium commiſſum fuerit, teneantur omnes obtinere à Principe litteras, quas vocant, innocentiæ, quibus ſe extra culpam eſſe docere poſſint.

Quam ſententiam etiam canones multis in locis probant. Ita *can. fortitudo,* 23. *q.* 3. ubi ex Ambroſ. dicitur: *fortitudo, quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena juſtitiæ eſt.* Et *can. non inferenda,* & *can. oſtendit propheta* & *can. qui poteſt:* ubi dicitur: *qui non repellit à ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam qui facit.* Et *qui deſinit obviare cum poteſt, conſentit.* &, *qui poteſt obviare, & perturbare perverſos, & non facit, nihil aliud eſt, quam favere eorum impietati.* Et *can. ſicut*

dignum, *verſ. illi etiam. de Homicid.* clarè dicitur: *qui potuit hominem liberare à morte, neque tamen liberavit, eum occidit.* Quamvis autem plerique Canoniſtarum, hoſce canones ad forum tantum conſcientiæ reſtringant: judicamus tamen illos etiam ad forum contenſioſum eſſe referendos; cum rationes eorum ſint prorſus generales, & proinde omnibus dictæ. Uſitatum enim quod obſervandum, jure canonico, ut ſi aliter in foro conſcientiæ obtinere velit, quam in foro judiciali, id ſpecialiter exprimere ſoleat. Ut videre eſt in *can. quicunque* 17. *qu.* 4. quod tamen in canonibus jam à nobis allegatis non eſt factum. Certiſſima autem eſt noſtra ſententia de jure divino, quæ inde probari poteſt rationibus & exemplis. Ratio 1. hæc eſt, quia ſicut quiſq; obligatur vitam ſuam tueri, contra incurſus latronis; ita etiam obſtringitur proximi vitam defendere, qui charitatis & naturæ nexu ipſi eſt conjunctus. Tenetur enim quiſque lege charitatis, proximum diligere ſicut ſeipſum. Ratio 2. eſt, quia charitas hoc ſuadet; ut defendamus innocentem, contra injuſte invadentem, adeo quidem, ut ſi alterutrum interire

interire neceſſum ſit, potius intereat, id eſt interficiatur, violentus invaſor, quam cui innocentia patrocinatur. *Proverb.* 24. *verſ.* 11. Ratio 3. eſt, quia expreſſum eſt mandatum. *D. Johannis* in *prior. epiſt. c.* 3. *verſ.* 16. ubi ita loquitur: *Per hoc novimus charitatem Dei, quod ille animam ſuam pro nobis poſuit. Nos igitur debemus pro fratribus animas ponere.* cum quo loco confer *text. Johan. c.* 15. *v.* 13. *Epheſ.* 5. *v.* 2. in quibus etiam charitatis iſta lex eſſe dicitur, vitam exponere pro amicis. Ratio 4. eſt, quia quod tibi ſimili in caſu fieri vis, id alteri feceris, ex mandato Chriſti *Matth.* 7. verum nos conſtituti in mortis periculo, exoptaremus liberari nos à manibus inimicorum, & anguſtiatorum; ergo idem tenebimur, pro aliis præſtare. Neq; deſunt exempla. Moyſes *cap.* 2. *Exo.* virum Ægyptium indignè tractantem & percutientem, quemdam de Hebræis, fratribus ſeu cognatis ſuis interfecit. quod factum comprobat Spir. Sanctus in *Actis c.* 7. *v.* 27. Abraham ad defenſionem ſui nepotis Lothi contra vim regum Sodomiticorum familiam ſuam armavit *Geneſ.* 14. *v.* 14. factoque iſti acceſſit approba-

tio divina: Melchiſedech enim ei à cæde Regum redeunti factus obviam benedixit, & Deo gratias egit pro ejus liberatione. *Geneſ.* 14. *v.* 19. 20.

CAPUT. XXVII.

An homicidium in rerum defenſionem licitum?

TAnta avaritia incitante, rerum ac bonorum apud homines eſt æſtimatio, ut quæ, tanquam caduca contemnenda forent, ſubinde hominum vitæ præferantur, ac defenſionis eorum gratia humanà cæde manus polluantur. In tantum autem hoc vitium, ne dicam enorme aſſurexit flagitium, ut non deſint, qui huic cauſæ ac ſententiæ, tamquam juſtæ, ac legibus licitæ, patrocinari velint. Autumantes homines non peccare, ſi in rerum ſuarum defenſionem ac tutelam furem interfecerint Inter caſuiſtas præcipui hoc affirmantes ſunt illi, qui ſectatores Jeſu audiri ac appellari volunt. ut colligere licet ex *Leſſio l.* 2. *c.* 9. *dub.* 11. affirmante. & libro Gallico, cui inſcriptio *Requeſte*,

proces

proces verbauz & advertiſſimens Faits à la dilgence &c. In quâ illa ſententia à Theologis Pariſienſibus condemnatur, utpote quæ vitæ humanæ pernicioſa; ac Jeſuitæ multis modis perſtringuntur, tamquam ejus propugnatores acerrimi. Nos veriorem cum Pariſienſibus ſecuti ſententiam, quicquid etiam in contrarium plurimi adducant juriſconſulti, autumamus, illicitum eſſe propter bonorũ repetitionem, eum qui ea abſtulit, interficere. Hoc confirmaturi, & jure civili, & canonico, & divino. Jus civile varias ſuppeditat leges, ex quibus manifeſtum, bona temporalia poſtponenda animabus hominum. Quod prob. 1. per *l. ſancimus in fin. Cod. de ſacroſanct. Eccl.* ubi majus ponitur momentum vitæ hominum, quam rerum. Quia abſurdum foret non præferri animas hominum quibuſcumque vaſis, vel veſtimentis. Prob. 2. per *l.* 13. *D. quod met. cauſ.* juncta lege, *non eſt ſingulis, D. de R. I.* ubi denotatur neminem regulariter debere jus ſibi dicere, neque ſuapte ſponte repetere, quod ſibi debetur, quodque per judicem tenetur & etiam poteſt repoſcere. Verum cujus bona auferuntur, poteſt actione

ex-

experiri cum adverſario ſuo, & ita legitimo modo ea repetere, non autem adeo crudeliter procedere ut ea cum nece recuperet adverſarii. Prob. 3. per *l.* 7. *D. quod met. cauſ.* & *l.* 1. *Cod. quand. liceat unicuique ſin. jud.* &c. ex quibus legibus fit manifeſtum, non licere furem, ut talem interficere, id eſt ſi ſolum bona auferre velit, ſed eum tantum qui mortem minatur, & interficiendi animo accedit. Cui ſententiæ ſuffragatur, *Berlich. concl.* 12. *p.* 4. *n.* 37. *Boekelius diſq.* 6. *Bull. tribus gener. præcept. Bach. vol.* 2. *diſp.* 32. *p.* 1281. Obii. 1. Leſſius ex jure civil. *l.* 9. *D. ad leg. Corn. de ſicar.* & *l.* 4. *D. ad leg. Aquil.* Reſp. illis in legibus furem nocturnum, & alienorum bonorum invaſorem non aliter occidere permittitur, quam ſi telo inſtructus accedat, animoq; interficiendi dominum, ſi reſiſtat, & tum quidem, cum illi ſine periculo ſuo quis parcere non poteſt. Obii. 2. *l.* 1. *Cod. Unde vi.* ubi quis dicitur juſtè propulſare illatam vim ad defenſionem ſuæ poſſeſſionis, quam ſine vitio tenebat. Reſp. in hac lege quidem defenſio bonorum, ſed non occiſio permittitur, niſi ex invaſore bonorum, quis

fiat

Digitized by Google

ſiat aggreſſor corporis, & quem licitis mediis bona ſua defendentem, armis invadat. Atq; hæc quidem de jure civili dicta ſunto. De jure canonico res etiam eſt manifeſta. Solum duo allegandi canones. *Can. ſuſcepimus. Can. ſi perfodiens. de Homic.* in quibus dilucide explicatur, non debere occidi furem, qui ad furandum venit, neq; licere tam acriter exardeſcere, ut hominem interficiamus, ad conſervationem rerum tranſitoriarum. Obii. Leſſius 1. *can. interfeciſti. de Homicid.* ubi dicitur: *ſi ſine odii meditatione, te tuaq; liberando, hujuſmodi diaboli membra interfeciſti: ſi aliquid jejunare volueris, bonum eſt tibi & eleemoſynas fac largiter.* Reſp. hoc in canone duo copulative requiruntur, *te tuaque*, ſcilicet vis illata bonis & corpori; itaq; non ſufficit, ſi quis occidat invaſorem bonorum, ſed requiritur inſuper ut adſit vitæ periculum ſeu corporis. Obii. 2. *can. dilecto de ſent. excom. in ſexto.* ubi ita *Innoc. IV. Præterea cum omnes leges, omniaq; jura vim vi repellere, cunctiſq; ſeſe defenſare permittant: Licuit utiq; ipſi Decano (ſi prædictus Ballivus eum bonis ſuis mundanis injurioſe ſpoliare, vel ea violenter occupare*

præ-

præſumpſerit, ut ſuperius eſt expreſſum) contra illius violentiam injuriamq; ſe tueri. Reſp. 1. hoc in canone non probatur, quod erat in quæſtione, ſcilicet licere propter bonorum defenſionem hominem interficere, ſed tantum innuitur, licite quem poſſe poſſeſſionem ſuam vel bona contra invaſores defendere, quod & nos concedimus. Reſp. 2. non eſt hic ſermo de nuda bonorum defenſione ſed ea, quæ conjuncta eſt cum tutela proprii corporis, ut colligitur ex canonis verbis prioribus, *cunctis licitum ſeſe defenſare*, & poſt *contra violentiam ſe tueri*, quæ referuntur ad violentiam, quæ corpori noſtro infertur, quo in caſu concedimus etiam quem licite poſſe progredi in defenſione ſua ad interfectionem invaſoris, ut ſuperius eſt explicatum. Accedunt ultimo noſtræ ſententiæ, rationes ac motivæ Theologicæ. Prima hæc eſt. Quia iniquus iſte homo cenſendus, qui divitias interituras, & iniquum mammona, vitæ præfert, ſaluti, & amori hominis Chriſtiani, quamvis hoc in actu à perfectione Chriſtiana deviantis. Præſertim cum aliud ſuadeat Salvator noſter, qui jubet ut homini petenti tunicam ſine reſiſtentia eam lar-

largiamur. Id eſt, vult potius res quasvis neceſſarias eſſe deferendas, quam ut violenter inſurgamus in raptorem earum gratia. Et ideo exemplum adducit veſtimenti, ad corporis nuditatem contegendam apprime neceſſarii; quod tamen relinquendum ſtatuit. Secunda ratio hæc eſt. Quia ſi liceret in rei neceſſariæ defenſionem, furem interficere, origo hinc ac ſcaturigo multorum oriretur malorum; quivis enim & ea quæ vix alicujus forent precii, ſibi diceret neceſſaria eſſe, intemperans vinum, cibumque delicatiorem, reliquaque quibus ad bene eſſe uteretur, quia in iis ſaltem locum haberet neceſſitas expedientiæ, ſi non immutabilitatis, ut loquuntur Metaphyſ. Fœminæ ſuperbientes ſuas armillas, catenulas, lunulas, margaritas, & quæ non, hominum præferrent vitæ, mallentque hâc quem privari, quam ut ſuis carerent ſuperbiæ ac luxus inſtrumentis. Immo tandem cum Jona impatiente rem viliſſimam, ipſam umbræ amiſſionem, majoris facerent, quam vitæ. Quod tamen impium ac crudele. Ratio tertia eſt, quia nulla eſt proportio inter bona & vitam hominis. Natura quidem inter homines quan-

quamdam conſtituit cognationem, & ideo hominem homini inſidiari nefas eſt. Sed tamen nullam conſtituit cognationem inter animas bonorum, & animas hominum, qui omnium creaturarum nobiliſſimi. Unde Pſalmiſta pſalm. 49. *Fratrem redimendo non redimet quiſquam, nec dabit Deo precium redemptionis ejus. Nam precioſa eſt redemptio animæ ipſorum & deſinet in ſeculum.* Ac ſalvator noſter, hoc ipſum ſatis innuit, quando comparat vitam noſtram, & vitam animæ noſtræ, cum divitiis totius mundi. Et certe ſi res rectâ putemus via; cujus cogitatio & conſcientia hoc non dictat? Annon quod metuis ut amittas, minimi eſt valoris? quod perdere cupis, inæſtimabilis eſt precii? Unum reſarciri poteſt, alterum reſarciri nequit. amiſſa ſemel bona ſive mobilia, ſive immobilia, interdictis per prætorem recuperari poſſunt.. Repetendæ vitæ ſemel amiſſæ nullnm unquam dabitur remedium. Quarta ratio eſt, quia quiſq; tenetur præferre vitam proximi rebus propriis multo magis tenebitur quis proprias res dimittere, quam ut in earum defenſionem alteri vitam adimat. Qui enim hoc

agit,

agit, reapſe oſtendit hominis vitam bonis eſſe ſubjectam; cum è contrario omnia bona homini ſint ſubjecta, tamquam creaturarum nobiliſſimæ. Media cedunt fini, qui gratia nullius, finis autem non cedit mediis, quæ ſolum propter finem. Porro, cogitandum eſt contra charitatem eſſe Chriſtianam, ſi hominem vilioris rei gratia interficiamus, cum teneamur ejus deplorare conditionem, quod ad vitæ ſuæ ſuſtentationem, velit ea quæ ſunt alterius ad ſe rapere. Immo cogitandum nos obſtringi & obligari iis bonis, quæ in depoſitum nobis data, aliis ſuccurrere, eorumq́; vitas ſuſtentare. Cogitandum denique legem divinam non largiri aliis poteſtatem diſpenſandi de bonis noſtris, multo minus nobis diſpenſandi de vita alterius. Gravius quippe punit homicidium, quam punit furtum. Tua qui aufert, præter Deum, te ſolum offendit, qui eum interficit, præter Deum, & communionem offendit humanam. Suffer itaque potius amiſſionem bonorum, quam ut committas homicidium. Hoc ſi egeris & amore proximi, & præſertim Dei, ipſe largiter ea tibi reſtituet, & infundet in ſinum, ſi

illa

illa tibi arbitratus fuerit eſſe ſalutaria.

CAPUT. XXVIII.

An duellum inter ſocios conceſſione ſuperiorum licitum?

PRoclivius, eſt inquit, *Tacit. Hiſt. l.* 4. *injuria, quam beneficio vicem exolvere: quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur.* Unde tanta hominum exiſtit malitia, ut ex minimis jurgiis, homicidia, cædes, duella exoriantur. Nec tantum potuêre aut leges, aut edicta, ut non prævaluerint vitia, ac mores depravati hominum petentium aſſidue, ut liceret cum hominibus ad vindicationem injuriæ illatæ congredi. Neceſſarium igitur aliquando fuit permittere duella, ſi quando juſtæ eorum probarentur cauſæ. Limitibus inveteratum hoc malum erat limitandum, ac reſtringendum, ne ulterius graſſaretur, ac ſæviret cum maximo reipublicæ detrimento. Neq; permittebatur, quod propter humani generis duritiem auferri nequiret, niſi ab eo, qui haberet vitæ, neciſq; poteſtatem. Adeo quidem, ut ſi partes propria auctoritate aut de-

deferrent, aut ſuſciperent duella, incurrerent læſæ majeſtatis, & homicidii crimẽ. Itaque Princeps ſolus hodie permittit in Gallia iſta duella. Olim etiam permittebat, cauſa cognita, ſenatus pariſienſis. Curia gubernatoris, cum ipſo rectore Delphinatus in Delphinatu: Magiſter militum Galliæ ſeu conſtabulus. *Tholoſ. ſynt. jur. lib.* 48. *c.* 16. *n.* 9. Reguli Italiæ paſſim ſine delectu, non tantum permittunt, ſed loca inſuper tuta quoque aſſignant. *Alciat. ſingul. certam.* Tabulæ legum Brabantiæ Johannis Ducis, ſub certis modis jure ſæculari quædam tantum permittebant, *Zyp. In. Pontif. not. Analiſ. narr. l.* 5. *p.* 473. Olim apud Romanos, neque rectoribus provinciarum, neque exercituum ducibus jus erat, concedere inter ſocios milites duellum; quia armorum uſus ſine principe erat capitalis *l. unic. Cod. ut Armor. uſus inſcio princip. ſit interd. lib.* 11. quamvis enim gladii jus accepiſſent à Principe, tamen illud ita limitatum erat, ut in hoſtes tantum hoc jure uterentur. Non aliter ac etiam hodie militibus gregariis jus necandi conceſſum eſt, non tamen omni occaſione, loco, ſocios, aut regnicolas, ſed
hoſtes

hoſtes, & quidem ex ordine. Unde Titus Manlius poſtmodum Torquatus, cum à Gallo provocaretur, Dictatorem ita eſt allocutus: *injuſſu tuo imperator, extra ordinem non pugnaverim, non ſi certam victoriam agnoverim: ſi tu permittis, ero provocatus.* Etiamſi autem multis olim in locis, ut & hodie duella talia ſi juſta ſubeſſet cauſa, inter ſocios conceſſione ſuperiorum fuerint permiſſa, ſi non licita; probanda tamen quam maxime Hiſpanorum ſtatuta, quibus nulla probatur juſta duelli cauſa. *Boekel. diſq. 6.* Et hæc quidem conſentanea omni juri, tam humano, quam divino. Jura civilia certe, quæ principem ſecundum leges, quicquid agit, agere debere iudicant, non concedunt illa omnia eſſe permiſſa, aut juſta, quæ princeps forte permiſerit, neque concedunt unquam principem talia permittere debere aut poſſe, quæ legibus repugnant. Ratio eſt, quia ipſe princeps non vult ea omnia eſſe rata, quæ ſtatuit. Quod ſi enim quis libello ſupplici quid impetraverit à principe quod iniquum, aut contra leges, nec hoc ipſum princeps ratum habendum cenſet. *l. 3. Cod. Precibus imperat. offer.*

Leges

Leges autem ſtatuunt principem tantum hoc largiri, ut arma geramus contra ſocios alioſque, ea conditione ſi evadere aliter non poſſimus mortis periculum. *l.* 1. & 2. *Cod. quando liceat unicuique ſine jud. ſe vind.* Ergo non permittit princeps jure civili, ut adverſus ſocios arma geramus, ſi evadendi, & juris noſtri obtinendi alia ſuppetant remedia. Atque hoc de jure Canonico tam certum quam quod certiſſimum, quicquid Fragoza contra nitatur. Prob. 1. quia ut conſuetudo generalis alicujus provinciæ non valet, quæ ejuſmodi permittit provocationes, ita nec reſcriptum principis, aut edictum, quod tale quid partibus largitur, poteſt. Ratio rationis eſt, quia quod illicitum in conſuetudine, illicitum etiam in reſcripto. Antecedens autem de jure canonico manifeſtum, quo cenſetur omnis conſuetudo, quæ peccati eſt nutritiva, non eſſe conſuetudo, quia irrationabilis. Prob. 2. ex *concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 19. ubi ita; *Imperator, Reges, Duces, Principes marchiones, Comites, & quocunq; alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis conſeſſerint; eo ipſo ſint excommuni-*

municati; ac juriſdictione, & dominio civitatis, caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab ecclſia obtinent, privati intelligantur: & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Et magis hoc confirmatur conſtitutionibus Pontificum; ut *Pii* 5. quæ incipit; *Ea quæ à prædeceſſoribus, ſub dat. idibus Novembris* 1560. *Gregorii* 13. quæ incipit. *Ad tollendum, ſub dat.* 24. *Decembris* 1582. *Clementis* 8. quæ incipit. *Illius vices, ſub dat.* 2. *Septembr.* 1592. quas deſcriptas vid. apud *Barboſam in coll. ad concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de reformat. c.* 19.

Rationes ſi quis inveſtiget Theologicas variæ ſunt, quibus manifeſto probabitur, etiam conceſſione Principis inita duella eſſe illicita. 1. Quia nullibi ſacra pagina, talia litium ac diſſidiorum componendorum media præſcripſit, aut conſtituit. Ergo nec noſtrum, nec cujuſquam Principis hoc erit agere, ne videatur velle ſapientior ac prudentior eſſe ipſo Deo, qui nullibi ad iſtam violentiam deſcendendum eſſe aut deveniendum ſuaſit. Ea propter etiam in Angliâ Eccleſiaſtici Carolo regi diſſuaſerunt,

anno

anno niſi fallor 1630. ne permitteret concurſum duorum Scotorum, qui veniam à rege ut duello congrederentur impetraverant. Quorum alter Comes de Ree, nobilis alter vocatus Macxwel. Et tantum effecêre rationibus è ſacra pagina petitis, ut Rex eos à propoſito revocaverit. 2. Quia hoc eſt medium, quo ſæpe innocens indigna & injurioſa morte afficitur. Non enim Deus ſemper ſtat à parte ejus, qui bonam cauſam habet, quia hoc modo peccat in Deum, ac vindictæ cupiditate bonitatem cauſæ conſpergit, ac inquinat. 3. Quia jus humanum non poteſt ſupra jus divinum diſpenſare, aut aliquid contra illud concedere. Itaque ſi princeps permittat talia duella ſunt illicita; pugnant enim cum verbo Dei, & cum præccpto generali, non occides. 4. Quia iſta duella ſociorum crudelitatis ut plurimum plena, neque ſinunt unquam principem eſſe in conſcientia ſecurum, talia qui permittat, tanquam hujus mali auctorem. Exemplum ejus eſt memorabile quod contigit Henrici. 2. Galliarum regis tempore, qui ut permiſit duellum quod minime debuit inter Vidum Cabotium Jarna-

cium, & Franciſc. Vivonum Caſtaneum, viditque ſpectando provocatorem Caſtaneum cui favebat penetrabili corporis ſectione tranſverberatum occumbere, tantus conſcientiam ejus diverberavit ac perſtrinxit dolor, ut ſacramento confirmaverit ſe poſthac in monomachiam conſenſurum nunquam. *Thuan. lib.* 3.

CAPUT. XXIX.

Quæ ſit Occaſio duellorum?

QUod in omnibus ab origine locum habuit, etiam hodie in hominum genere reperiri, experientia quotidiana manifeſtat. Inter aſtrorum curſus contrarietatem deprehendimus maximam, inter plantas & herbas inveſtigando oppoſitas conſpicimus naturas. Bellum immortale ſecum gerunt pugnantia mundi elementa, alterumque alterius perit efficacia & offenſione. Diſſidia ſempiterna inter homines ſerit, Dea multorum origo malorum, *Nemeſis*. Et ut ſociatione naturæ junctus homini homo deberet eſſe Deus, uſu è contrario evenire

Digitized by Google

nire ſolet, ut homini homo ſit Dæmon. Quivis vel de levi injuria in proximum inſurget, neque ulla adeo levicula eſſe, aut excogitari poteſt, quæ non etiam inſtar cujuſdam damæ timido, moveat bilem. Quivis alicujus notæ, ad inſtar Caligulæ, vel Jovem, id eſt virum etiam nullius injuriæ conſcium ad duellum provocabit, addita hâc voce minaci, aut tu me tolle, aut ego te tollam. Cujus mali ſi inveſtigas occaſiones, eas facile deprehendas. Prima eſt vindictæ cupido, ira intus ſtimulante, quæ animum ita tranſverſum rapit, ut non ſui amplius juris ſit. Quam facili negotio homini calidioris temperamenti ebullit ſanguis circa cor! ut videmus facilius illos inclinare in duella, quorum regio ac temperies corporis eſt calidior. Et ut in juventute maxime regnat vindictæ cupido, prædominatur ira, ita juvenes ad duella quam ſenes eſſe proniores, quis negabit? Scilicet illis imperitat Martis fervor, non autem tarditas Saturni. Et iſti ætati non tam adjuncta prudentia, quam quidem ardor, non tam concilium, quam quidem temeritas. Spiritus quippe igniti vehementiores, leviores, in juve-

nibus,

Digitized by Google

nibus, quique facilius propterea commoventur, & incitantur quam in ſenibus. Altera occaſio eſt, gloriæ cupido, cujus homo adeo eſt appetens, ut mori mavelit, quam eam amittere. Omnes hunc laudant, hunc ſuſpiciunt; & quemadmodum apud Romanum populum applauſum merebantur præclari antagoniſtæ, vocabanturque *paradoxoi*, cum in conſpectum populi depugnaſſent; ita duellatores aſpiciunt, venerantur, tanquam qui ſupra vulgus decore ac gloria emineant. Quod ut prudenter advertit Taurini præfectus regius Johannes Langius, duellatores ſuper ponte ſolos incluſit uſque ad noctem, nemine adſpectante, ut ita hujuſmodi inglorium aſpernarentur duellum. *Carol. Molin. ad Dec. conſil.* 686. Plerumque enim talis conatus vel præmiis paſcitur, vel applauſu incitatur, in tantum ut multos amatores videamus periculi conſtitutos, temerarios magis, quam fortes, ea quæ interdicta ſunt, peragere. Tertia occaſio eſt, præſumptio, quam quis habet partim de ſua dexteritate, partim de ſeipſo. Quovis tempore exercitium eum ſtimulat armorum, ut quovis tempore
vel

vel ſingulis injuriam inferre ſit paratus. Expertus enim prævalet inexperto, & multum hic valet gladii peritia, ut exemplo duorum fratrum, (de quibus ſupra egimus) demonſtravit Livius. Ita ars iſta honeſta promovet vitia, iiſque inſervit, quæ tamen aliquando neceſſaria, utpote adinventa ad vitæ conſervationem in caſu neceſſitatis. Præſumptio porro, quam quis habet, de ſeipſo talis eſt, ut autumet ſe præferri debere reliquis, eoſque audacia anteire; adeo quidem ut eum demum verum eſſe exiſtimet honorem, omnibus eſſe metuendum. Itaque non patietur quemquam ſibi parem, multo minus ſuperiorem. Amore ſui nimium ſtimulatus, propriam extollet fortitudinem, experimento eam comprobavit, neque feret alterum ſolem, lumen ſuum obſcurantem. Cujus falſæ imaginationis, & opinionis perverſæ tanta eſt efficacia, ut ſuper quovis honoris puncto gladiis lucentibus ſtatuat dimicandum. Vel verbum hoc: tu mentiris, congreſſus ſuggeret occaſionem; vel vultus paulo ſeverior, certo duellum dabit. Vel voces durius prolatæ, ſatis graves erunt injuriæ propter

ter quas ex honore ſuſcipere tenearis conditiones ab adverſario oblatas. In tantum quidem, ut optimis amicorum hoc ipſum non ſit denegandum, incitante à tergo ambitione. Unde in praxi proverbium hoc locum tenet: amicus es hodie, cras inimicus futurus. Quarta occaſio eſt Exemplum, quod ut plurimum plus movet, quam res aut ratio ipſa. Quia in aula forte vidimus generoſum quem hoc egiſſe, ejus actionem ad imitandum nobis proponimus. Neque mirum. Hominem enim ſimiarum ritu videbimus ea quæ ab aliis ante acta, agere, ſive bona, ſive mala, ſive licita, ſive illicita. Occurrunt enim ea in ſenſus, cum quæ bona, & mala, licita & illicita ratione ſint dijudicanda. Utinam, utinam potius ſibi proponerent exempla eorum, qui in aula ſi qui forte ſint, prudentes cluunt, moderati ac pii, quique regula & norma ſunt bene vivendi, melius certe cum humani generis ſitum eſſet conditione, moribus ac vita.

* *
*

CAPUT

CAPUT. XXX.

Duellorum an ulla utilitas?

SI quis nos roget, num monomachiæ nullam præ ſe ferant utilitatem, reſpondebimus audacter, nihil in natura adeo iniquum eſſe aut malum, quod in ratione alicujus majoris mali, ſpeciem habeat, ſi non boni honeſti, ſaltem utilis. Venena hominum vitis deleteria, ac naturis ipſorum adverſa, in tantum ſunt utilia, inquantum impedita ſubinde gravi morbo organa, expediunt, prioriq; reſtituunt exercitio. Si morales reſpicimus actiones, dicimus, lupanaria nunquam Romæ, aut Venetiis, aut alibi fuiſſe permiſſa, niſi in quantum viderentur utilia, majoris mali evitandi gratia. Idem applicabimus duellis, olim apud Barbaras gentes ideo permiſſis, ut veritas, quæ aliis mediis è latebris erui non poterat, hoc medio extraordinario manifeſta foret. Et ita etiamnum plures duellorum eſſe utilitates manifeſtum faciemus. Prima utilitas hæc eſt, ut Reges ſecuriores ſint, dum intenti nobiles

pri-

privatis injuriis, publicas linquunt, neque cogitant aut de Rege è medio tollendo, aut de reipublicæ ſtatu innovando. Secundum illud monitum Doctoris ex Hetruria: ſimultates & inimicitias ſubinde eſſe alendas in populo, & fovendas, quo iis occupatus ac detentus, facilius à ſuperiore in officio contineri poſſit. Altera eſt, ut illi, qui ſunt in regno tumultuantes, è medio auferantur, ne poſthac, quo facile tales ſpiritus inclinant, turbas dent majores. Et licet ſuſpicari, ſi licet, ideo principatus ſui initio Henricum quartum Galliarum regem, tolleraſſe duella ad tempus, ut ita regnum à purgamentis illis purgaretur, ac liberaretur ab hominibus ſeditioſis, quibus nihil minus eſt cordi, quam patriæ tranquillitas, ac Regni ſalus. Tertia eſt, ut Reges injurias a ſubditis, præſertim nobilibus ſibi illatas, ſubdolè, & quidem aliud agendo vindicare poſſint. Quas publicè vindicare nequirent, ſine concuſſione reipublicæ, ſi non ſine interitu Ita teſtatur Buchananus regem in Scotia nobiles ulciſci cupientem, inter ſeſe ut committerentur, juſſiſſe. Quarta eſt, ut ardor ille immoderatus militum,

no-

nobiliumque qui niſi habeant quo ſe exerceant, tandem ad bella civilia prolaberentur, intra terminos contineatur. difficile quippe gentes bellicoſæ animos effervefcentes fræno inhibere, niſi aliquo exercitio, veluti facilitate regantur. Aquarum moles ſi ei imptu maximo reſiſtatur, eo altius excreſcit; ſin paulatim levibus conatibus, ſenſim & ſine tumultu dilabitur. Ita ſi violentia cohibere tentas animos efferatos, cum damno id ages ac detrimento tui Regni. Sin vero eorum curſum fræna quaſi laxando, pedetentim ſiſtas, id facili ages negotio, ac eo firmiorem efficies reipublicæ contextum, ne diſſolvatur. Verum, ut quod ſentimus, efferamus, dicimus etiamſi in ſchola politicorum quorumdam aut cujuſdam Machiavelli, iſta omnia jam allata non videantur contemnenda; at tamen in Schola Chriſtianorum aliud dicendum, venire. Offenſiones reprimere aliis offenſionibus non obtinet, niſi inter fera animantia, nec in uſu eſt, niſi apud Barbaros. Et vitia, quæ ſunt abominabilia in conſpectu Dei, non debent admitti, ſi auferri poſſunt, ad majus malum evitandum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT. XXXI.

Duellantes an Meticuloſi?

FOrtaſſis alicui videbitur hujus diſſertationis affirmativa pars contra ſenſum & experientiam inducta quotidianam: cum apud omnes ſit in confeſſo, duellantes eſſe ſi non fortes, ſaltem temerarios & audaces, ideoque ab omni metu prorſus ſejunctos. Jam tamen lubet paradoxum hoc amplecti, quod omnes ſapientes approbaturos confidimus, ſimulac noſtras ponderaverint rationes. *Omnes duellatores, aut ſaltem pleroſq; eſſe meticuloſos*. Primo, hoc ipſum ſuadent arma quibus utplurimum tales duellantes congredi ſolent. Raro eos in campum prodeuntes reperies ſclopis, aut alio quo inſtrumento, cujus ictus illatio eſt inevitabilis. Verum quotidie gladiis congrediuntur, & quidem prolixioribus, quibus facile ictum avertimus, & minima manubrii motione periculum evitamus. Secundum illud vulgatum: magnus & prolixus gladius, animi tenuis indicina. Mortem ſcil. quotquot ſunt metuunt,

tuunt, & tamen eam contemnere videri volunt. Suadet hoc 2. armorum exercitium. Artis ſcrimiæ utilitas multum hic facit, quæ hominem alias meticuloſum, ſupra menſuram elevat fortitudinis. Et ejus artis cognitio accendit illum, ut temere, & quidem artis confidentia adverſarium quem ſibi eligat. Ideoque obſervabimus nobiles, qui quam optimè artis ſcrimiæ ſunt gnari, ut plurimum ad duella ſingulos provocare. Gladiis quotidie obtuſis ſeſe exercebunt, ut omnibus & ſingulis prævaleant. Non quidem improbamus illud exercitium, neque, quam non ſubinde proſit, ignoramus. Verum tamen non oportet ut invidia originem ſumat ab exercitio ejuſque peritia, & non ab animo ac fortitudine alterius. Utrumque malum fatemur, ſed ſi invidendum alteri, juſta ſit æmulatio, quia forte alium fortiorem nobis & animoſiorem exiſtimamus, non quia peritiorem. Quicquid ſit, qui in iſta arte cluunt artifices, ſtatim ad arma provocant, quæ illis non aliter ac Dii tutelares, ſunt unicum evaſionis auxilium. Atque non tam fortunam reſpiciunt, id eſt eventum martis ancipitem, quam

quidem

quidem ſecuritatem, ac artis rectitudinem, cui confidunt. Neque tam victoriam ſibi petunt, ab animo quam ab arte, quam illis pollicetur, non animus, ſed robur, non fortitudo, ſed agilitas. Et quod dicimus, adeo verum eſt, ut turpe aliquando fuerit in Gallia, bonum cluere gladiatorem, id eſt iſtius artis peritum. Autumabant enim nobiles, & quidem bene, artis ſcrimiæ regulas, multum derogare nativæ ac vere generoſi pectoris fortitudini. Suadet hoc tertio depugnandi modus. Adducere ſolent de more, & ſecundum & aliquando tertium, etiam quartum. Quod non alia de cauſa introductum autumamus, niſi quod non ſatis eſſet virium aut audaciæ in uno. Et cum quiſque in ſe minimum haberet fiduciæ, numero adjuncto adaugeretur potentia ac animus. Conſortium enim ſua natura aliquod confert adjumentum ac ſolatium in periculo. Tum ſocii, ac comites inclamant, incitant, ut quibus deficit inter pugnandum cor, novo quaſi celeuſmate, de novo excitetur. Porro ſoliti, ut notiſſimum adducere ſecundum aut tertium &c. ne forte vulnerati, aut in terram dilapſi, ab adverſario iniquis

modis

modis interficiantur; neque ultra vulnera procedatur, ſed partes dirimantur, ſimulac alteruter ſanguine humum conſperſerit. Annon hic vere metus mortis, an non & hic deficit animus? immo maxime. Verum replicabit forte aliquis cur igitur ſinguli adverſariorum Dicimus, quia quiſq; certam ſpem ac fiduciam concepit de victoria, eamq; ſibi ſoli pollicetur. Quod ſi enim ſe inferiorem exiſtimaret, aut interfectum iri, facile reſiliret à propoſito. Itaque iſtis duelliſtis dici poſſet & applicari illud Cæcilii Metelli apud *Plutarch. in Apopth.* munito loco exercitum admovere volenti. Cui cum centurio dixiſſet, ſi ſolos decem viros perdidiſſet, ſe locum eſſe capturum, interrogavit eum, num unus ex decem eſſe vellet. Qui tacuit quia vitam noluit iſti exponere periculo. Idem nos de duellantibus dicimus. Si certo in duellis eſſent occubituri non facile ad duella convolarent. Jam quia ſe evaſuros opinantur aut ſine ratione provocant, meticuloſis in eo ſimiles, & ipſi meticuloſi.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXII.

An Pugna injuriarum illatarum cauſa ſuſcepta, & honoris defendendi gratia, licita?

NObiliſſimus Dominus de la Nove in ſuis diſcurſibus politico-militaribus *diſc.* 12. ex aliorum relatu narrat, quatuor malorum horribilium eſſe genera; quæ homines divexant, & à quibus liberari à Deo exoptant. Unum eſt proceſſus judicialis, de dimidia bonorum parte inſtitutus, alterum eſt morbus qui cenſetur incurabilis eſſe, tertium eſt fœmina peſſimæ indolis, & quartum idque etiam maximum, duellum fundatum ſuper injuria, id eſt alicujus gravis injuriæ cauſa ſuſceptum. Iſta quippe aliquando inducias tribuunt homini, ac aliquantulum ſubinde de ſuo remittunt fervore. Hoc autem continuis curis ac ſollicitudinibus hominem exagitat. Cui malo frequentato, & tamen adeo gravi ac luctuoſo ut obviam eatur, rationes adducemus quas poterimus efficaciſſimas, ut ita pectora illa calidiora ad

Digitized by Google

duella prona, ſi non in totum, ſaltem pro parte refrigerentur. Principio oſtendendum eſſe exiſtimamus illa duella, omni jure eſſe ac fuiſſe improbata. Deinde, rationibus jura ſtabiliemus, ne ullo modo videantur irrationabilia, tandem objectiones quaſdam, quæ hominum prætendit imaginatio, diluemus. De jure Civili variis noſtra ſententia probatur mediis. 1. Quia non legitimo tramite procedit, qui monomachia petit, quod ſibi debetur. De jure etenim actiones ſunt inventæ. Ut iis id quod noſtrum eſt proſequamur. Fit hoc in judicio per petitionem propoſitam coram magiſtratibus, qui ideo conſtituti, ut civium componant controverſias, & cuique jus ſuum reddant: quod ita intellexit Imperator Marcus, qui vim eſſe exiſtimavit, ſi quis quod ſibi deberi putat ſine judice poſcat & auferat. *l.* 13. *D. quod met. cau.* 2. Quia privatis in privatos arma ſumere illicitum. Armorum quippe uſus, ſine conſenſu principis eſt capitalis. *l.* 1. *Cod. ut armorum uſus l.* XI. Verum quidem gladii jus à principe accipiunt, quotquot militant, ſed ea conditione, ut in hoſtes ſolos vertatur, non

L autem

Digitized by Google

autem ut privatis concedatur, mutuo ſe jugulaturis. 3. Quia generaliter propoſitum, ne quis ſibi jus dicat, *l.* 1. *Cod. ne quis in ſua cauſ. jud. l. pen. D. quæ in fraud. cred.* adeo quidem ut privatus exercens officium magiſtratus, incidat in crimen læſæ majeſtatis. *l.* 3. §. *fin. D. Ad leg. Jul. Majeſt.* 4. Quia judex eos ad arma & rixam admittere non debet, quos ſua juriſdictione poteſt compeſcere. *l.* 17. §. *ſed ſi inter duos D. Uſufruct.* Quo etiam facit conſtitutio Theodorici regis, quæ illa duella, ad quæ injuriarum cauſa tam facile homines recurrunt, prohibet. Ut videre eſt apud *Goldaſtum in conſtitutionibus imperialibus*. Unde etiam principes Brabantiæ Romanas ſecuti leges ſuis edictis promulgarunt, ut ſi gravior injuria acciderit in curia, aut in exercitu, querela ad principem, aut exercitus ſupremum ducem deferatur : qui aſſumptis duobus equitibus conciliet partes, & idoneis modis offenſo honoris reparationem curet. *Zyp. not. jur. Bel. tit. de pug. in Duello.* Plura talia principum Belgii & Brabantiæ edicta lata, quibus duellantium coerceretur furor. ut Philippi 2. edictum 22. Jun. 1589.
&

Digitized by Google

& pleniſſimum Alberti & Iſabellæ, pen. Februar. 1610. Quod repetitum 11. Jul. 1624. Neque hanc ſententiam infringit illud quorundam juriſc. *vitam & famam paribus ambulare paſſibus.* Quo adducunt *l. 9. D. Manumiſſ. vindict.* quoniam paralogiſmus eſt manifeſtus, in uno aliquo ſingulari comparata, abſolutè facere æqualia. Nimirum ut minor juſtam cauſam habeat manumittendi ſervum, ſufficit per hunc illius vitam vel famam eſſe conſervatam. Et in hoc tantum comparantur, non ulterius in lege allegata. Quemadmodum multa inter ſe prorſus diverſa ad unum aliquem effectum operandum, ejuſdem poteſtatis eſſe poſſunt. Ut ſunt variæ exhæredationis, privationis feudi, revocandæ donationis cauſæ, ad iſtum effectum æquales, cæteroquin inter ſe prorſus inæquales. *Bach. volum. 2. diſp.* 32. Neque etiam quicquam in contrarium ſuadet *l.* 8. *in fin. D. quod Met. Cauſ.* Quoniam hæc lex loquitur de ſpeciali in corpus injuria per ſtuprum, cujus cauſa Romanis legibus occidere permiſſum erat. *l.* 1. §. *D. Sicar.* Neque à jute civili recedunt canones, ut colligere licet ex tit. *decretalium, de*

purgat. vulg. & *tit. de clericis duello pugnantibus*, & *c. conſuluiſti 2. q. 5.* & *Concil. Trid. ſeſſ. 25. ſuper reformat. c.* 19. quæ pluribus vide probata in *Bullario Cherubini cum Scholiis, tom.* 1. *p.* 88. & apud *Barboſam in Collectan. ad Concil. Trid.* loco citato, & *Zyp. ad tit. de clericis pugnantibus in duello.* Extat etiam decretum *Eccleſ. Gallicanæ in Concil. Biturig.* 1584. quo ſtatuitur, ut à duellis ſub pœna excommunicationis abſtineatur.

Verum à legibus & canonibus progredimur ad rationes, deſumptas partim ex jure divino, partim ex politicis conſiderationibus. 1. Peccant iſti Duellantes in Deum, in quantum injurias illatas ulciſcuntur, cum Deus expreſſis verbis dixerit, *mihi eſt vindicta, ego retribuam.* Deut. 32. eaque verba Paulus repetit Rom. 12. *non voſmetipſos ulciſcentes chariſſimi: ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: mihi vindicta eſt, & ego retribuam, dicit dominus.* Eſt enim vindicta, ſi rem penitius introſpiciamus, actus quidam judicialis, & quidem ejus, qui judex eſt, & judicium adminiſtrat, maxime vero ejus, qui ſupremus eſt rerum omnium arbiter ac moderator. Cum autem

autem Deus ſit ille ſupremus, ad eum ſolum pertinebit vindicta, non autem ad noſmetipſos, ne videamur Deum ſuo jure privare velle. Et cum vindictæ finis ſit correctio, qua ratione eam nobis aſſumimus, cum potius noſmet vindicando eos pejores efficiamus, ac pravo exemplo ad prava facta inſtigemus. Aſt Deus ſuo judicio ſuaque vindicta corrigit homines, ac corrigit, emendat qui offendunt, ſecuros reddit & tranquillos, qui aliquam paſſi ſunt offenſionem. Sed forte quis replicabit, ſi ſoli Deo competit vindicta, cur ergo magiſtratui jus vindicandi ac puniendi injuriantes conceſſum. Reſp. Deus in republ. conſtituit vice-regentes, ac vice-reges, qui ejus audiunt miniſtri in opere Juſtitiæ. Illi ejus gladium gerere dicuntur, non ſuum, quem tantum poſuit in manibus eorum; Juſtitiam exercent ac adminiſtrant, verum ſubordinati Deo. Jus non tam habent vindicandi, quam quidem ejus executionem. Et ideo Moyſes loquitur Iſraelitis, ut Deum vindicent ſuper Madianitis, *Numeror*. 6. Committenda igitur vindicta Deo, aut ejus executio illi, in cujus manu gladium col-

 locavit.

locavit. Et cujuſque eſt abſtinere ab eo, quod alterius eſt pro illo agere, non enim ulli privato jus ullum competit vindictæ, aut executio. Peccant deinde iſti duellantes in Deum, in quantum ſpeciale Dei tranſgrediuntur mandatum, qui hoc modo nos ab omnibus aliis diſtinxit populis, ut non ſolum diligeremus amicos noſtros, verum etiam inimicos. *Math.* 5. Peccant in mandatum illud generale, non occides. Peccant in præceptum illud æternæ legis, quo mandavit, ut proximum diligeremus propter ſe, & ita poteſtatem ſibi ſumunt ac diſpoſitionem ſatis temere in vitam alterius; cum tempora noſtra ſint in manibus Dei *Pſalm.* 31. qui auctor vitæ ac necis, qui dominus ac largitor ſpirituum omnis carnis. Peccant denique in Deum, in quantum violant domicilium, in quo Deus habitat, id eſt corpus cujuſvis fidelis. 2. *Corinth.* 6. *v.* 26. quod ſi quis auſus fuerit violare, eum diſperdet Deus 1. *Cor.* 3. *v.* 17. 2. Peccant in ſeipſos, quia honoris & famæ gratia ſanguinis ſunt prodigi, & propter levem aliquam injuriam vitam ſummis exponunt periculis, quales Martial. vituperat illis verſibus: *Nolo*

Nolo virum facili redimit qui ſanguine famam.
Hunc volo laudari qui ſine morte poteſt.

Itaque iſtis hominibus dici poſſit: ſi te offendi, cur mori deſideras, cur vis ut ego te interficiam: incertus enim es de victoria. Imo dicis, aut ego te, aut tu me interficies. Si me vis interficere, injuſte agis; ſi interfici, ne petas illud à me, alia ſuperſunt media. Si vitæ te diſtædet, abi, in hoſtium turbam irrue confertiſſimam, immo abi ſi lubet ut hoc joci cauſa dicamus, cicutam bibe, ventrem tibi ſcinde, ſuſpende te. Peccant præterea in ſeipſos dum affectibus propriis tanquam furiis exagitantur, & ita inimicitias cum propriis gerunt cogitationibus: odio etenim, vindicta, impatientia, deſperatione, prorumpunt ad duella, volentes, nolentes, & mallent abſtinere, niſi rationis frænum excuſſiſſent animi motus inordinati. 3. Peccant in rempublicam, in quantum ſibi aſſumunt volentes ſcientes licentiam alios provocandi, vel arripiunt occaſionem aliis provocationem offerendi. Nemo etenim

etenim membrorum ſuorum eſt dominus abſolutus, ſed ita in ſeipſum habet poteſtatem, ut reſpublica ſit domina ſuprema in corpus ipſius, quod eſt veluti pars ac membrum totius reipublicæ. Præterea in eam peccant, dum ſecundus eligitur, ac tertius, & quartus. Et ita reſpublica aliis privatur membris, quæ hoc membro inſtigatore juſtiora, ac meliora. Peccant deinde in rempublicam, in quantum iſta duella conſervationi patriæ minus accommodata, utpote ex quibus detrimentum reſpublica capit maximum. Hinc enim fortium virorum interitus, qui vitam & ſanguinem pro patria effundendo hoſtibus potuiſſent fuiſſe terrori ac noxæ. Et ideo Epiſcopus Aturenſis præſentibus Cardinalibus Sourdio & Guiſio, aliiſque ab ordine Eccleſiaſtico ad regem deputatis, ſerio monuit & rogavit ut edicta Henrici IV. & ſua prohibitiva duellorum ſerio executioni tradi curaret, ne ſicut intra paucum tempus decem millia perſonarum (qui ſanguis utinam ſuper Turcam effuſus fuiſſet; quam non late ſtagnaſſet, quam glorioſas ſegetes produxiſſet, quam ſalutarius Eccleſiæ pomeria fœcundaſſet!) mutuæ
ſeſe

Digitized by Google

ſeſe internecioni ſub dementato honoris titulo dederunt, toties cum omnibus peccans, cumulum ſibi peccatorum coacervaret. Peccant denique in rempublicam dum in ea lites novas excitant & veteres adaugent. Hinc ipſæ familiæ mutuis inter ſeſe inimicitiis & diſcordiis irritantur. Pars læſa ultionem quotidie meditatur & vindictam repoſcit, ut ad conciliandos animos jam novo opus ſit Hercule. Neque inter amiciſſimos ſervatur amicitia, verum ruunt in conſanguineos conſanguinei, in amicos amici, & quibus ſæpe ex officio omnia debent, in hoc gratificantur, ut inſenſibili modo in inſtanti pereant. Et ſi poetæ cuidam Gallo fides, cruenta illa eſt tragædia, & commiſerationem movens, in qua introducit filium defendentem duello patris honorem, in præjudicium ſui amoris, ac in reparationem alapæ patri inflictæ, interficientem patrem ejus virginis, quam plus oculis amabat ſuis. Ut autem magis magiſque homines odio proſequi duella poſſent, non detrectabimus alias multas ſubjungere rationes, ac recenſere incommoda, quorum intuitu iſta concertandi genera ſint evitanda. 1. Quia homi-

Digitized by Google

hominem ſuadent nequicquam contra humanitatem committere naturalem. Etenim non eſt vitium ſed furor, ſed maxima dementia, quæ foret tolerabilis, ſi ſtatim & non ex condicto pugnaretur: poſſet enim inſurgenti furori utrumque imputari; verum cum diei locique conditio longam includat moram, qua labente facile poſſent rationes librari, propter quas expediret concilium immutare, eo gravius eſt delictum congreſſus qui ſequitur, quo magis ira deferbuit. Maledictus dicitur furor Simeonis & Levi, ac gladii eorum homicidarum gladii, quod diebus ſubſequentibus in deferveſcentia interfeciſſent Sichemitas. 2. Quia duellantium exitus ut plurimum luctuoſus. Etenim ſi victores aliquando exiſtant, ipſi dolent, lugent; deplorant caſum infelicem humanæ conditionis, exiſtimant idem ſibi ſimili in negotio evenire poſſe in lachrymas reſolvuntur ſimulac adverſarium vident interfectum, in amplexus cadentem excipiunt, non aliter ac ſi fratri ſupremum præſtituri officium. Si vero victi ſuccumbant, audita nece, domeſtici quantam miſcent lamentationem! lachrymas fun-

fundunt orbati filii, interfecto Principe familias, longa trahit uxor ſuſpiria, familiæ totius gaudium in luctum convertitur, & quod non potuit hoſtium efficere audacia, efficit unius male feriati ſocii furor. Interempto autem filio familias unico, cum dolore ac mœſtitia parentum cani deferuntur ad ſepulchrum, neque infortunatior accidere poteſt caſus, quam ſi ſpes familiæ dilabatur reipublicæ futurum ornamentum, ac gubernationis ſtatus firmamentum. 3. Quia in duellis non virtus & æquitas exercent vires ſuas, ſed fortuna ut plurimum cæca dominatur, id eſt caſus. Et fieri poteſt, ut qui propriæ potentiæ, aut roboris fiducia pugnam non neceſſariam inchoat, pœnas ſuæ temeritatis luat, & qui bonitati cauſæ confiſus duellum illicitum ſuſcipit, propter alia forte delicta, exitu lachrymoſo vitã finiat. Quod confirmat illud Thucydidis libr. 4. cujus verba, quia notatu digna, huc latine tranſcribenda: *Quod ſi quis*, inquit *ſive ſuo jure, ſive viribus niſus, certo aliquod confecturus ſibi pollicetur; ne ſi ſua ſpe fruſtretur, ægre ferat, cum videat, complures jam antea, & qui injurias aliorum ulciſci voluerunt, & qui*

qui viribus ſuis ac potentia aliquid acquirere poſſe ſperarunt, illos non modo vindictæ repetendæ poteſtatem non habuiſſe: ſed ne ipſos quidem incolumes evaſiſſe: hoc vero ut aliena acquiſiverint, tantum abſuiſſe, ut ſua quoque amiſerint. Non enim idcirco ultio ſemper eſt felix, quia injuriis expreſſa: neque robur & potentia quoniam cum bona ſpe conjuncta firma exiſtunt. Ut plurimum quippe ſors & fortuna in hiſce dominantur rebus; & aliquando viribus ſuperior vincit, etiamſi cauſam habeat injuſtiſſimam. Audiat hæc quiſquis in duella pronus, & ex hiſce diſcat, ne alias ſero nimium, ſapere. 4. Quia Deus conſcientiis hominum hoc indidit, ne facile in proximum inſurgant, eoſque reprehendit, ſi modo vel dictis vel cogitatis ſemet vindicarint ſuper fratre, multo ergo magis ſi ipſis factis, & actionibus ſic ſatis crudelibus. Saulem Regem levi negotio, ac ſine ulla reſiſtentia potuiſſet capite truncaſſe David, ac parte veſtimenti, verum non audebat: imo ſimulac veſtimenti abſcidiſſet partem, ſtimulis propriæ agebatur conſcientiæ. Tantum exoptabant diſcipuli Chriſti privatæ gratia vindictæ,

ut

ut ignis de cœlo deſcenderet, ac Samaritanos conſumeret. Verum ſalvator illis dixit, Neſcitis, cujus ſitis ſpiritus. Eſt igitur ſpiritus improbus, inordinatus, qui ad privatam contendit vindictam, ideoq; expellendus. Sed progredimur ad ſolutiones eorum quæ contrarium ſuadere poſſent. Obiic 1. conſuetudo eſt antiquiſſima multarum perſonarum illuſtrium, quæ injurias illatas ferro vindicarunt. Reſp. conſuetudo à peregrinis petita amputanda, ad fidei puritatem, & religionis conſervationem, & quia mala, prorſus exterminanda. ſecundum illud Cypriani: *conſuetudo erroris non ſacit errori patrocinium: & quod ante multa ſecula injuſtum fuit, nemo hodie juſtificare poterit.* Obiic 2. Exiſtimatio mea & fama proſtituitur apud homines, niſi compaream, & hanc ignominiam toti meæ inuro familiæ. Reſp. 1. curandum non qualem apud homines ſuſceptio duelli generet exiſtimationem, ſed qualem apud Deum. pluris facienda obedientia quam debes tuo creatori, ſub quo vivis, & reverentia quam debes religioni, quam profiteris. neque obſtringeris præferre tuum honorem præcep-

tis divinæ legis, ſed potius eum poſtponere ſecuritati tuæ conſcientiæ, ſi ſecundum mandata divina velis ambulare. Reſp. 2. Non perdit honorem ſuum, qui temere & contra jus divinum legeſque humanas provocanti non obtemperat. Neque infamis eſt, qui non comparet ſalvandæ conſcientiæ ergo. Poteritque adverſæ parti dici: Dæmoniace perdet te robur tuum. Illi potius perdunt honorem, qui contra expreſſum Dei interdictum, ſeipſos vindicant, & deſtinato conſilio proximum lædunt, ac ſuam vitam periculo exponunt. Reſp. 3. Neque amittitur fama non comparendo apud homines ſapientes ac bonos, ſed potius acquiritur dum nemo vult temere honorem ſuum ulciſci, quod undique prohibitum. Nunquam apud æquos rerum æſtimatores propter alapam inflictam, honor amiſſus ſervatoris, qui totiens alapas pertulit, conſpui ſe paſſus eſt, & quæ non. Sane nunquam: male quippe ei fuiſſet conſultum. Et ſi apud malos ex tua opinione amittatur fama, non erit amiſſio: dementiæ etenim eſſet vereri ne diffameris ab infamibus. Et ineptum eſſet per injurias alterius

famam

famam tibi auferri. Nimis certe male ageretur cum hominibus, & loco nimus lubrico eorum fama & honor eſſet poſitus, ſi ab alterius arbitrio penderet, & ad nutum hominis male conſiliati diminueretur, & augeretur. Immo quod magis, dicimus in ratione hominum profanorum, qui poſiti in malitia, quorumque judicium potius in ſanguinis reperias calore, quam in cerebro ſitum, duella non poterunt dici honorifica. Aut enim, (more iſtorum loquimur hominum) certas cum tali, qui te valore ac fortitudine inferior. Quem ſi feris, ignomia in te redundat, cum in imparem inſurrexeris. Aut dimicas cum fortiore & animoſiore, à quo ſi vincaris, turpitudine oneraris, ac ſi tibi defuiſſet & animus & fortitudo. Quicquid igitur eveniat, vix conſulere poteris honori, niſi ut tute exiſtimas fortiorem ſuperaveris, quod imbecillior vix ſibi auſit promittere. Hinc in mundo ſapientiores ac fortitudine ſupra reliquos præclari negabant ſe comparere poſſe, aut velle, duello provocati. Cum ab Antonio Auguſtus Imperator ad ſingulare provocaretur certamen, non comparuit, verum

lepide

lepide Reſpondit, ſi Antonium tæderet ſuæ vitæ, varia eſſe media ad mortem tendentia. Cumque à Sertorio provocaretur Metullus, non gladio, ſed calamo replicavit: Imperatoris non eſſe mori inſtar militum. Unde ſatis manifeſtum honorem illum, quem exiſtimant eſſe verum honorem, quotquot reguntur affectibus non ratione, tantum eſſe vanum quoddam, ac umbratile honoris nomen, & ortum habere ex falsâ quorundam juvenum degenerum opinione, quaſi timore impediantur, qui manu ſua injurias aut convitia non vindicant. Et ideo declarant Principes falſam eam eſſe opinionem, honorem injurias paſſorum ſub ſuam protectionem recipiunt; & ne quis eis exprobet ſub ſuæ indignationis & arbitraria pœna vetant, in *Edict. Albert. & Iſabell.* pen Februar. 1610. Objic. 3. Sed nobilis ſum neque meæ ignarus conditionis quicquid plebei agant nihil refert. Aliter aliter a me illa injuria reparari nequit. Reſp. Ergone apud Deum perſonarum erit reſpectus? & aliquem generis ſplendore, aut claritate muneris excuſari, ſi contra verbi divini fulmina aliquid attentare audeat?

Ergone

Digitized by Google

Ergone Chriſtus Salvator noſter nobilibus ſuggeſſit, ut malum malo rependerent, & ignobilibus ne malum malo referrent? Unde quæſo illa inter ejuſdem naturæ homines exorta eſt inæqualitas? tu quia præfulges generis nobilitate, affluis divitiis, temetipſum poteris, immo debebis vindicare. Alter, quia illis caret, injurias omnes digerere tenetur, ac earum eſſe patiens. Audi, quæ dicimus, & adverte quo te deducamus. An non æque ratione præditus qui ignobilibus ortus parentibus quam qui nobilibus? An non cuique homini ut æqualiter injuriarum ſenſibili, eadem conceſſa facultas, ſemet contra injurias illatas defendendi, aut referendo, aut ferendo? An non Deus, penes quem vindictæ judicium, æque vindicaturus eſt injuriam illatam nobili, ac ignobili? An non omnium injuriarum æquus vindex? Cur igitur tu Deo gladium vindictæ eripis, tibique aſſumis, quod vilioris conditionis homini denegas? Certe quæ tibi largitus eſt ſupra alios, nobilitatem, honores, opes non conceſſit, ut vilioribus præluceres vitiis tuis, aut exiſtimares tibi quicquam licere, aliis quod illi-

citum. Verum è contrario, ut in virtutis tramite, reliquis eſſes viæ ductor, ac tibi minus licere autumares, quia plus gratiæ retribuendum eſt. Objic. 4. Quicquid ſit de duellis, certum eſt iſtum hominem cluere animoſum, ac audacem, qui facile ad duella provocat. Reſp. Audacia omnis ac valor duellatoris eſt, aut interficere aut interfici. Si interficiat hominem, eumque privet vita, audacia hæc, non tam erit fortitudo, quæ ſolum laudanda, quam quidem furor, aut barbari cujuſdam, aut hominis mente capti. Imo hoc illi commune cum feris animantibus, ut urſis, leonibus &c. Solitis lacerare dilacerare, quicquid in conſpectum venerit. Si vero interficiatur, non tam animoſitas ulla apparebit hominis ſanæ mentis, quamquidem equi effrænis, ſine ſenſu ac ſine judicio ruentis in præcipitium; aut alicujus mente capti, qui dum laceſſitur audet ſemet projicere de ſummitate turris, & ita miſere interire. Hæc quiſquis es de duellantium grege cogita, ut ita recedat inſana iſta opinio de te.

CAPUT

Digitized by Google

Caput. XXXIII.

Quæſt. I.

An ſi quis alium expectet, dicendo, nolo, ſed eo iturus ſum, excuſetur à delicto?

VArii circa duella incidere poſſunt caſus, qui facili negotio iis retentis, quæ ſupra à nobis in generali quæſtione de duellis relata ſunt, decidi poterunt. Unus eſt caſus quando quis aliud quaſi agendo, id eſt ſimulando, ſe nolle cum adverſario, ſeu provocante congredi, congreditur. Qui caſus etiam ſecundum canoniſtas, & jureconſultos eſt illicitus. Ratio 1. eſt, quia, qui deſignat locum & tempus, ex pacto inire dicitur duellum, immo qui exit animo depugnandi, non eſt extra culpam. *Fragoſa part.* 1. *reipub. Chriſt. l.* 1. *diſp.* 2. Ratio 2. eſt, quia homicidium ex voluntate in tali duello factum præſumitur, cum non ſit ex neceſſaria defenſione. Et omnis ille actus jure eſt illicitus, in quo dolus præſupponitur. *Gail. pac. publ. lib.* 1. *c.* 16. Ratio. 3. eſt, quia vindicta eſt, non

defenſio, quando provocatus primo deſcendit ad extraneos actus, ut in caſu noſtro, neque in rixa aut in continenti propellit injuriantem. *Gail. pac. publ. ibid.* Ratio. 4. eſt, quia quivis tenetur quantum in ſe eſt evitare periculum, non autem quærere occaſionem incidendi in periculum. Quicumque enim periculum amat, illud inveniet. Verum qui ſtatuit certum locum, tempus deſignat, non evitat periculum, ſed adverſario ſui facit copiam, & ita promovet malum, quod alias præpedire potuiſſet.

CAPIT. XXXIII.

Quæſt. II.

An quis licite aliquem interficiat, ſi primo illi permiſerit arma?

ALius eſt caſus, quo quæritur, ſi injuria quis affectus ab aliquo, quem reperit abſque enſe, dicat illi, quære enſem, & revertere, quam primum; ego enim ſubſiſto, & te hic expecto? num juſte alteruter adverſarium hoc in caſu interficiat. Reſp. Minime.

Ille

Digitized by Google

Ille enim qui loco ſtatuto expectat adverſarium, ex condicto cum eo pugnat, potuiſſet enim iviſſe domum; injuſtam igitur habuit depugnandi cauſam, quia non neceſſariam. Ille vero, qui domum ivit, petiturus gladium, non tenebatur reverti, imo in conſcientia tenebatur hoc periculum domi manendo evitaſſe. Adde, quod uterque vindictæ cupiditate ſtimulatus propter injurias illatas & acceptas duellum ſuſcipiat. Injuriarum autem gratia illicite ſuſcipi ſuperius eſt demonſtratum. *Frag. loc. ſupercit Leſſ. lib. 2. c. 9. p. 94.*

CAPIT. XXXIII.

Quæſt. III.

An qui inſignia alicujus rapuit, duello provocari poſſit?

ADeo de puncto honoris inter ſeſe digladiantur nobiles, ut gaudeant ſubinde ſibi datam eſſe occaſionem, duello quem provocandi. In tantum ut etiam juſtiſſimam congreſſus exiſtiment eſſe cauſam ſi de præcedentia oriatur controverſia, ut notat *Carpzov. leg. reg.*

Germ. c. 10. *ſect.* 7. *art.* 28. Et quod huic confine quæſtioni, ſi nobilium inſignia ab aliis rapta ſint aut occupata, indubitata dabitur duelli occaſio. Fatemur quidem, grave eſſe dedecus, noſtra nobis eripi inſignia, & magnam injuriam, ſi ſine voluntate domini arma ab aliis portentur; quæ ſigillo noſtro æquiparantur, & ex quibus dignitas dependet familiæ. Attamen exiſtimamus nulli licere eorum gratia duellum ſuſcipere, aut alium congrediendo interficere, ut vult *Chaſſaneus catal. glor. mund. p.* 35. Cum enim honoris & famæ conſervandæ gratia non liceat quem duello provocare, multo minus licebit id agere armorum gratia; quibus ereptis, nunquam dicetur à quoquam nobis periiſſe fama, & adempta exiſtimatio.

CAPIT XXXIII.

Quæſt. IV.

An duellum ob religionem ſuſceptum licitum?

TAntus tamque effervescens ſubinde quamvis inordinatus, piorum hominum

num eſt Zelus, ut ſibi licitum exiſtiment, congredi cum homine in Deum ſupra modum impio, ut puta, quia blaſphemiis ipſum Deum petit, aut religionem, qnam ipſi profitentur, ſannis ac dictis ſcurrilibus explodit. Verum dicendum, etſi hic aliquis adſit Zelus, non tamen ille videtur ſatis temperatus, ſed mediocritatis ejus, quam nobis Deus in ſuo præſcripſit verbo excedere limites, adeoque degenerare in ſuperſtitionem. Mitiore tamen pœna aliquem puniendum cenſemus qui ratione pietatis, aut devotionis quamvis cæco & perverſo impetu, duellum ſuſceperit. Ita ſaltem factum in patria civitate noſtra Heuſdæ. In quâ cum quidam miles, centuriæ Harbord, origine niſi fallor Scotus, cui nomen David Hankock, à milite Gallo foret provocatus, etiam ſcommatis ſtimulatus, ac nominibus ipſius religionem tangentibus quaſi laceratus, quod *puritanus* eſſet, *præciſiſta* &c. duellum ſuſcepit, Gallum ſemel atque iterum devicit, quem etiam cum tertiùm concurreret ad mortem vulneravit, ac tandem veniam delicti, quia videbatur religionis gratia ac probitatis ſuæ de-

defendendæ ſuſcepiſſe duellum, conſecutus eſt. Simile exemplum refert *Zypæus Pont. nov. Anal. Enarr. lib. 5. tit. de pugnant. in duello.* Nobilis quidam erat regente ditiones belgicas Maria Regina quondam Hungariæ. Is, inquit, in rixa ob religionem mota, hæreticum quendam, gravi pugno occiderat, & pro abolitione criminis reginæ ſupplicabat: quæ ob Zelum & abolitionem ei dedit, & præterea nobile officium, quod forte tum temporis vacabat.

CAPIT. XXXIII.
Quæſt. V.

An duellum licitum propter nobilium puellarum nuptias ſuſceptum?

QUam multi inveniantur amatores, qui amoris fortunam armis permittant, noſtra teſtimonio poteſt eſſe patria; ejuſque rei per multa ſuppeditat exempla *Albertus Krantzius lib. 2. Dan. c. 4. Olaus. lib. 4. c. 5.* Neque alia videtur fabularum occaſio in Amadiſiis, quam

quam torneamenta ac duella, inter corrivales virginum gratia ſuſcepta. Quæritur igitur, num iſtius generis duella amoris æſtu, inter corrivales inita, excuſari poſſint. Reſp. Etiamſi nihil vehementius ſit cupidinis furore, neque illa inſania rationis jugo ſit ſubdita, quia eam inhibere, ac fræno compeſcere, tam difficile, quam quod difficillimum: attamen juſta nequit eſſe provocandi cauſa, cum quivis teneatur ſuis imperitare affectibus, ne modum excedant, & peccet in leges, ſi ſinat eos juſtitiæ tranſilire limites. Ratio. I. eſt, quia inique agit, qui duello adverſarium cogere vult, ut abſtineat ab eo, quod ſuum non eſt. Nondum enim cum puellâ votũ factum, nondum ſponſalia contracta, igitur adhuc commune bonum dicendum, neque plus juris huic in illam, quam adverſario. Ratio. II. eſt, quia qui tali in duello interficit adverſarium, hoc agit deſtinata voluntate, & impatientia conſortis, quem ferre nequit, ut ſecundum, multo minus ut parem. Ratio. III. deſumi poterit, ab incommodo, quod iſti duello adjunctum. Aut enim corrivalem interficit, aut ipſe ſuccumbit. ſi illud

Digitized by Google

illud eveniat, privabitur fructu amoris, exteras oras legere compelletur; & quæ antea illum ex intimis adamabat medullis, jam ut homicidam vituperabit, & jure merito odio proſequetur. Sin vero pereat, loco maximæ felicitatis quam ſperabat, miſerabilem cogetur ſubire ſortem, neque amplectetur finem exoptatum; ſed ſimul cum amore, omnem amittet honorem, infamiæ ſubibit notam. Denique adverſario ſuo, quem præſe contemnebat, aliiſque erit ludibrio ac exploſioni, qui illum periiſſe gaudebunt, ac ſibi jam datam occaſionem inviſendi eam, quæ hactenus tanquam Aureum vellus inter dracones cuſtodita aſſervabatur. Hoc tamen addimus, puniendum quidem iſtum homicidam, non tamen ordinaria legis Corneliæ pœna afficiendum, quia amoris furore compulſus corrivalem exanimavit idque ſecundum *Clarum in §. final. quæſt.* 60. *n.* 10. *&* *Oldrad. concil.* 210. *n.* 4.

CAPUT

Caput. XXXIV.

Motivæ contra duella.

QUia vero non Barbaris aut Ethnicis loquimur, ſed hominibus Chriſtianis, aut ſaltem qui Chriſtum profitentur. Ideo motivas quaſdam adducemus quibus animus non quidem in totum depravatus, ſed tamen affectibus ſubditus, corrigi & emendari queat, ne ita ruat propriam ad vindictam maximum per periculum. Igitur quiſquis in illa vitia pronus es, quæ duella promovere ſolent, hæc cogita non ideo temeticuloſum eſſe aut timidum, quia denegas provocanti congreſſum, ſed illo fortiorem, cum quo nequis, nec cupis propter conſcientiam congredi. Ille furiis iſtis vindictæ, cupidinis horſum vorſum jactatur, non aliter ac unda marina vento impetuoſo: tu vero ſecurus es, immobilis inſtar cubi, neque affectuum turbine agitaris, quippe qui jam didiciſti omnes declinare furiarum impetus, ipſos audaces ac temerarios tua ſuperare quiete, non aliter ac navis maxima, ad quam pellit unda tranquillis

quilla eſt. Quo referri poteſt illud Caii Marii apud *Plut. in Apotpheg.* qui in bello civili foſſa ſe cinxit, obſeſſumque continuit, donec opportunam erumpendi nanciſceretur occaſionem. Cum igitur Pompeius Silo eum provocaret ſuperba voce, ac diceret: ſi magnus es Imperator ò Mari, deſcende in certamen: imo tu (reſpondit) ſi magnus es Imperator, coge me vel invitum decertare. Scilicet Imperator maximus alterius injurias ac provocationes contemptu ſuperavit. Ita etiam tu, ſi læſus es ab improbo, eum contemnendum judica, quippe quem inferiorem te longe cenſes; ſi læſus ab indigno, eum infra tua colloca merita, ac indignum judica, cujus cauſa vel digitum vertas. Sic eris vere fortis, quia affectus ſuperabis, tibi imperitabis, ac pudore conficies tuum adverſarium. Deinde cogita, quam turpe ſit, & quam iniquum obedire homini provocanti, & non obedire Deo, jubenti ne provocantem ſequaris. Duplici modo es miſer. Principio temet exponis periculo, dum ad nutum ejus cui infenſus es ſtringis gladium. Si perdis, bonam amittis famam, vitam ſervas, & quid ſupereſt,
nisi

niſi ut metuas ignominioſam carnificis manum. Si pereas, ſimul cum fama amittis vitam, forte etiam æternam; & ita poſteritati es exemplo, ne tam facile periculo ſeſe exponat; quia qui periculum amat, in periculum incidet, & gladio feriens, gladio peribit. Deinde, miſer es, qui veſtigiis ejus quem præ omni malo odio habes, inſequeris, imitaris & ad ejus traheris exemplum. Ergo quem peſſimum autumas, tuo collaudas facto, ejuſque iniqua approbas opera? Ergo Deum quem noſti optimum, quem amas, aut ſaltem amare videri vis, deſeris, ejus exemplo abſtines. Quid aliud agis, niſi ut temet perdas, cum ea ratione te providentiæ ac tutelæ eximas divinæ. Obſervat Deus tuos greſſus, eos dirigit, te cuſtodit, quando es in viis ejus. Verum ſi ſequaris ductum pravarum cogitationum, ac recedas à ſemitis rectitudinis, jam Deo tuo non amplius eris commendatus, ſed ille te tibi linquet, tuiſque committet cogitationibus. Et eventus miſerabilis commonſtrabit, quam non immeritò ſis à Deo tuo derelictus, quẽ tute primus deſeruiſti. Tibi quidem conceſſit Deus fortitudinem, animoſita-

ſitatem, docuitque quomodo arma tractare manus tuæ poſſint. Verum quid aliud agis, quam ut beneficiis, à Deo tibi largitis abutaris ad rebellionem in Deum, ac damnum in proximum. Certe non ea ratione dona redundant in gratiam auctoris, ſed ignominiam. Beneficia non pari lance redduntur, verum torquentur in bonum ejus, qui infenſiſſimus largitoris tui hoſtis, id eſt Diaboli. Ab illo te duci pateris, illius inſiſtis veſtigiis, ac preſſo pede eaſdem calcas ſemitas, ſi duellantium gregi commiſcearis. Ille primus per ſerpentem hominem impulit ad id, ad quod confeſtim mors eſt ſubſequuta: igitur illum homicidium habet auctorem, qui homicida ab initio; quique etiamnum talis, dum homini quaſvis ſuggerit occaſiones, quibus ſe læſum exiſtimet, neque aliter reſarciri damnum poſſe, quam alterius morte, putet. Deum autem vita tua agnoſcit auctorem, qui ejus largitor, conſervator, reparator. Ea propter tuum erit, qui ad Dei tui conditus es imaginem, vitam alterius non adimere, ſed curare, fovere. Ita eveniet ut Deo conditori tuo magis ac magis ſimillimus ſis futurus, qui aliter parum

aut

Digitized by Google

aut nihil diſtabis à Dæmone tuo deſtructore.

Ut autem turpe eſt, ac iniquum non obedire Deo ſuo, verum homini provocanti, ac Diabolo inſtiganti: ita glorioſum eſt è contrario Chriſtiano militi, ſequi veſtigia ſui ſalvatoris, & ſi fieri poſſit etiam aſſequi. Participem eſſe afflictionum ſui magiſtri, nihil aliud eſt, quam diſcipulum eandem velle cum magiſtro ſubire conditionem, & ſi neceſſitas exigat, etiam pejorem. Patienter igitur feras contumelias, & injurias tibi illatas, nec temet vindices, quemadmodum Chriſtus ſuas tulit, nec eas ulciſci voluit. Non eſt infamia notandus miles, qui ea quæ peragit, ex mandato ſui ducis peragit. Neque ſubditus notam incurrit ignominiæ, qui ſui principis edicta tuetur. Neque tu infamis eris, qui renuis duella, quia Salvator noſter, Dux noſter, Princeps noſter mandat ac jubet, ferendas eſſe injurias, ac differendas, concoquendas calumnias, malumque bono eſſe rependendum. Ipſe Deo Patri ſuo vindictam eorum omnium commiſit, non amiſit. Tu etiam Deo tuo tuas defer injurias, quas tui cauſa vindicet,

eumque

Digitized by Google

eumque optime ea quæ tendunt ad tuæ reparationem injuriæ adminiſtraturum, confide. Solus ille ſapiens, itaque rite judicabit, qua injuria fueris affectus, gravi ne an levi, quaque pœna qui injuriam intulit, ſit afficiendus. Ille perfecte juſtus, itaque nunquam, ſi juſtam accuſandi injuriantem habueris cauſam, corrumpi poterit, aut contra te judicare. Solus ille omnipotens, itaque non eſt quod vereare ne impune evadat, qui in te fuit injurius, etiamſi mortalium ſit potentiſſimus, quique legibus hominum ſua potentia videatur exemptus. Sed auribus excipimus illud Biantis ore tuo proloquutum, quo conquereris: ſcio ita quidem dici, adverſarium meum aut tarde aut ſero pœnas laturum, ſed vereor ne illud ipſe aſpiciam, ac doleo, quia forte non licebit hoc intueri. Audi hæc à nobis ſi lubet & animo adverte. Ne quæſo delectetur oculus tuus videre illas pœnas, neque animus eſſe ſollicitus num & quando ſuper caput injuriantis ſint eventuræ. Tu quidem deſideras quam primum reparari injurias verum neſcis, cujus ſis ſpiritus. pœnæ etenim dilatio, gravita-

te

te tandem compenſabitur. Et ut audacter loquamur, iniquus es, qui cum vindicari velis Chriſtiane, levi de injuria pœnam repoſcis in momento, cum nondum vindicatus ſit Chriſtus, graviſſima à judæis affectus injuria. Suffecerit tibi, Deum certo certius cauſam tuam vindicaturum, ſive fuerit levis, ſive gravis, ſive injuria illata bonis, ſive nomini. Æque ille cauſam gerit honoris tui & famæ, quam vitæ & animæ. Non opus eſt, ut famulus injuriam ſibi illatam vindicet, cum dominus, per famuli latus injuriatus, adſit à latere, injuriæ ſeſe immiſceat, non aliter ac ſi ſibi eſſet facta. Chriſti hæc fuit praxis, qui injuriatus, appellatus Samaritanus, amicus telonum ac meretricum, non provocavit injuriantes, neque vindictam expetivit, verum cauſam commiſit ei, qui juſte judicat. Nunquam igitur, nunquam qui injuriatus, es, aut infamatus, dicas, te amiſiſſe aut honorem aut famam, qui patiendo Deum tibi feciſti debitorem.

Digitized by Google

CAPUT. XXXV.
Remedia contra duella.

UT vero amputentur mores iſti barbari, duella reſecentur ad rectitudinem vitæ, & reipublicæ emolumentum minime neceſſaria; illa imprimis auferenda, ex quibus facile aut quorum ſaltem occaſione duella repullulant, & duellantium indies augetur numerus. Novimus omnes & experimur, illecebram peccandi impunitatis eſſe ſpem, omneſque quia impuniti, crebrius delinquere. Et ideo etiam duellantium eouſque prorumpit audacia quia licentioſa libertate atque conniventia fere nutritur. Et hoc eſt quod faciendum monet Epiſcopus Aturenſis ut ſcilicet edicta Henrici IV. executioni mandarentur, ne Rex, dum delicto, quas ſtringere debet, per diſſimulationem & impunitatem habenas laxat, toties cum omnibus peccans quoties illi duellantes ſinguli ſe damnant cumulum ſibi peccatorum coacervet. *Zyp. jur. Pont. Nov. Enarr. Anal. tit. de pugnant. in duello.* Deinde, quia videmus illos duellantes non ſemper adverſariis intentare necem, neque eam expoſcere

ab

ab adverſariis, cogantur, ſi velint, ſummo cum diſcrimine pugnare, ut ita periculi gravitate à propoſito divellantur. Hoc modo ferunt, prudentem quem exercitus Imperatorem, cum continuis interpellaretur precibus à duellantium pari, veniam ut eis depugnandi largiretur, erexiſſe loco in aperto patibulum, ac petentibus licentiam congrediendi conceſſiſſe, ea tamen conditione, ut uter eorum foret ſuperſtes interfecto adverſario, etiam eodem illo in loco vitam laqueo finiret. Quod inſtitutum ut intellexiſſent duellantes, metu mortis ignominioſæ, à propoſito ſuo fuere divulſi. Simile quid in Gallia factum recenſetur, ubi Galliæ Rex juſſit aliquando in area minimæ capacitatis duellantes digladiare, quam aream milites arcte ſtipati circumdederunt, haſtas in aream directas tenentes mucronibus in corpora gladiatorum directis, ut ſi paululum ſecederet alter, ilico in haſtas retrolabi poſſet, quo ſtratagemate perterrefacere voluit qui ita monomachiam aggrederentur. Quod factum in tantum probandum cenſemus, in quantum non permittimus eos ad arma venire, ſed tantum impedimus eorum

rum conatus. Aliter foret medium ad evitationem quidem duellorum excogitatum, non tamen in conſcientia licitum, aut permiſſum. Nihil autem nobis magis videretur infringere licentiam illam duellantium, quam ſi quotquot duello provocare alios volunt, veniam tenerentur impetrare à principe aut exercitus duce. Qui tum, ſi tales fortitud. gratia congredi vellent, eos in periculoſis adverſus hoſtes collocaret locis, ut ita audaciam ac fortitudinem pro Patria impendant & ibi reapſe oſtendant provocantes, quam non ſint adverſariis ſuis ſuperiores, ut videri volunt & animo, & fortitudine; provocati è contrario quam non contemnant mortis periculum, ſi modo illud licite ſubire liceat. Animoſa illa foret contentio, qua inter omnes in perpetuum per gloriam vivere dicerentur. Hujus rei illuſtre exemplum occurrit apud Cæſarem de Bell. Gall. lib. 5. quod ut omnibus ſit regulæ ac exemplo, quo liceat, ac tuto etiam poſſint ſemet ſuper adverſariis vindicare, huc integrum tranſcribendũ judicavimus. *Erant in legione Cæſaris fortiſſimi viri centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquarent.*

T.

T. Pulſio, & L. Varenus. ii perpetuas controverſias inter ſe habebant, uter alteri anteferretur omnibuſque annis de loco ſummis ſimultatibus contendebant. Ex iis Pulſio, quum acerrime ad munitiones pugnaretur, quid dubitas, inquit, Varene? aut quem locum probandi virtuti tuæ expectas? hic dies, hic dies de noſtris controverſiis judicabit. Hæc quum dixiſſet, procedit extra munitiones; &, quæ pars hoſtium confertiſſima viſa eſt, in eam irrumpit. Nec Varenus quidem tum vallo ſeſe continet, ſed omnium veritus exiſtimationem ſubſequitur, mediocri ſpatio relicto. Pulſio pilum in hoſtes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem tranſiicit; quo percuſſo, & exanimato, hunc ſcutis protegunt hoſtes, & in illum univerſi tela conjiciunt; neque dant regrediendi facultatem. Transfigitur ſcutum Pulſioni, & verutum in balteo defigitur. Avertit hic caſus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum, impeditumque hoſtes circumſiſtunt. Succurrit inimicus illi Varenus, & laboranti ſubvenit. Ad hunc ſe confeſtim à Pulſione omnis multitudo convertit. Illum veruto transfixum arbitrantur. Illic vero occurſat ocius gladio, cominuſque rem gerit Varenus: atque una

inter-

interfecto reliquos paulum propellit. Dum cupidius inſtat, in locum inferiorem dejectus concidit. Huic rurſus circumvento fert ſubſidium Pulſio atque ambo incolumes, cum pluribus interfectis, ſumma cum laude ſeſe intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione, & certamine utrumque verſavit, ut alter alteri inimicus auxilio ſalutique eſſet; neque dijudicari poſſet, uter utri virtute anteferendus videretur. Sin vero hiſce mediis jam recenſitis iſta mala auferri nequeant, acrioribus utetur vir Princeps, & iſtos duellantes ablegabit ad Indos Barbaraſque Nationes, Turcas, Saracenos, ut ibi pro toto orbe Chriſtiano pugnando occumbant, patrium extra ſolum conſtituti, aut ſi huic malo aliter obviam iri non poſſit, duellantes iſti, quotquot non deſiſtunt præmoniti, exterminandi ſunt, & tandem gladio regio coercendi.

Atque hæc quidem ſunt illa, quæ diebus feriatis, Syrio fervente, ad exercitium ingenii, & quorundam ut ſperamus cautelam elaboravimus. Aliis ſi forte adverſæ magis placebunt ſententiæ, in adverſas nos deduci ſinemus partes, modo juſtas & efficaces in contrarium rationes produxerint.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX.

Syllabus Cap. & Quæſt. hoc Libello explic.

CAP. I. *Quid Duellum?* pag. 1.
CAP. II. *An licitum duellum ludicrum gloriæ cauſa?* p. 9.
CAP. III. *An corporis exercitium licitum?* p. 16.
CAP. IV. *Quid dicendum de congreſſu nudorum?* p. 22.
CAP. V. *Quid dicendum de armorum exercitio?* p. 24.
CAP. VI. *Duella judicialia num admittenda?* p. 29.
CAP. VII. *An quis poſſit acceptare duellum ſuam ſciens innocentiam, ac adverſarium injuſtè procedere.* p. 40.
CAP. VIII. *Quid dicendum de Duellis ex quibus belli futuri deſumitur præjudicium?* p. 43.
CAP. IX. *Quid dicendum de Duello duorum ſupplicio juſte addictorum.* p. 47.
CAP. X. *Quid dicendum de Duello utilitatis publicæ cauſa ſuſcepto?* p. 51.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI. *Duella particularia ab hoſtibus oblata, num accipienda?* p. 55.

CAP. XII. *An patrem patriæ proditorem liceat interficere?* p. 59.

CAP. XIII. *Quid dicendum de Duellis ſeriis extra judicia Gloriæ cauſa ſuſceptis?* p. 67.

CAP. XIV. *Duellum ſerium oſtentationis cauſa num admittendum?* p. 70.

CAP XV. *Num Duellum ad defenſionem ſui licitum?* p. 75.

CAP. XVI. *Quæ dicatur neceſſaria defenſio?* p. 83.

CAP. XVII. *An ſi provocans interfecerit provocatum, juſtæ defenſionis beneficio uti poſſit?* p. 85.

CAP. XVIII. *An æqualitas armorum neceſſaria?* p. 87.

CAP XIX. *An ab inſultato prius ictus excipiendus?* p. 93.

CAP. XX. *Defenſio neceſſaria an licita contra Magiſtratum?* p. 100.

CAP. XXI. *An liceat eum interficere, qui tantum vult mutilare?* p. 103.

CAP. XXII. *An teneatur fugere, qui fugere potuit.*

CAP. XXIII. *An mortem minantem liceat interficere.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIV. *Utrum pro defenſione pudicitiæ liceat violatorem interficere?* p. 113.
CAP. XXV. *An qui ſub moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendit, teneatur pœna pecuniaria?* p. 117.
CAP. XXVI. *An defenſio cognatorum, aliorumque ſit Homicidium.* p. 120.
CAP. XXVII. *An homicidium in rerum defenſionem licitum?* p. 126.
CAP. XXVIII. *An Duellum inter ſocios conceſſione ſuperiorum licitum?* p. 134.
CAP. XXIX. *Quæ ſit Occaſio Duellorum?* p. 140.
CAP. XXX. *Duellorum an ulla utilitas?* p. 145.
CAP. XXXI. *Duellantes an Meticuloſi?* p. 148.
CAP. XXXII. *An Pugna injuriarum illatarum cauſa ſuſcepta, & honoris defendendi gratia, licita?* p. 152.
CAP. XXXIII. q. I. *An ſi quis alium expectet, dicendo, nolo, ſed eo iturus ſum, excuſetur à delicto?* p. 171.
CAP. XXXIII. q. II. *An quis licite aliquem interficiat, ſi primo illi permiſerit arma?* p. 172.

CAP

Digitized by Google

INDEX.

CAP. XXXIII. q. III. *An qui inſignia alicujus rapuit, Duello provocari poſſit?* p. 173.
CAP. XXXIII. q. IV. *An Duellum ob religionem ſuſceptum licitum?* p. 174
CAP. XXXIII. q. V. *An Duellum licitum propter nobilium puellarum nuptias ſuſceptum?* p. 176.
CAP. XXXIV. *Motivæ contra duella.* q. 179
CAP. XXXV. *Remidia contra duella.* p. 186

FINIS.

Digitized by Google

LIBRI JURIDICI

Apud ANDREAM WYDTS *venales.*

ARrêts du Grand Conſeil à Malines, par du Laury. 1717. in folio.
Burgundi Opera omnia Juridica. in quarto.
Deciſiones Franchis. in folio.
Fleury Inſtitution au Droit Eccleſiaſtique.
Generaele Coſtuymen van Vlaenderen met Notulen van Vanden Hane. Antwerpen 1674. 2. deelen in folio.
Huygens Notarius Belgicus. in 8.
Jus Paſtorum Titularium per Richart, 2. vol.
Loccenius de Jure Maritimo & Navali.
Maniere van Procederen in Civile en Criminele Saeken met Noten van d'Heer Boſchaerts. in 8.
Maniere van Procederen voor den Hove van Hollandt. in 8.
Petri Nicolai Mozzii de Feudis. in folio.
Proces Crimineel en rechtveirdige Beweiring over den Voorval of en hoe verre in lijfſtraffelijcke Saeken den Wil voor de Daedt magh opghenomen en gheſtraft worden, door S. van Leeuwen. in 8.
Petri Peckii Opera Juridica. in folio.
Placcaerten van Vlaenderen. 4. vol. in fol.
Paſtor primitivus par Richart 2. vol.
Petri Rebuffi in Conſtitutiones Regias Commentarius in folio.
Recueil van de Notabelſte Beſoignes ende Reſolutien, die in den Krijgs-raedt deſer Landen voorgevallen en gehouden zijn, door van Dalen. in 8.

Digitized by Google

LIBRI JURIDICI.

Stockmans Opera omnia. in 4.

Sigiſmundi Scacciæ Tractatus de Appellationibus. in folio.

Tractatus de Curia Brabantiæ, Munere Cancellarii, per Loyens. in 4.

Theodori Tuldeni Opera omnia Juridica. 4. vol. in folio. ſcilicet

— ad Inſtituta.

— ad Digeſta.

— ad Codicem.

— de Civili Regimine.

— de Juriſprudentia extemporali.

— de Cauſis corruptorum Judiciorum & remediis.

— de principiis Juriſprudentiæ.

— Initiamenta Juriſprudentiæ.

Traité des Droits Honorifiques des Seigneurs dans les Egliſes, par feu M. Maréchal, & Danty, Avocats. Avec un Traité du Droit de Patronage, de la Préſentation aux Benéfices, &c. d'Arrêtés ſervans de Déciſions pour les Droits Honorifiques, & un Traité des Dixmes, &c.

Voet ad Pandectas. 2. vol. 1723. in folio.

Voet de Familia Erciſcunda.

— de Natura mobilium & immobilium.

— de Statutis eorumque Concurſu.

— de Jure Militari.

— de Duellis Licitis & Illicitis.

— Compendium Pandectarum.

Zoëſius ad Digeſta. Lov. 1667. in folio.

Zoëſius ad Decretales. Lov. 1647. in folio.

Et plures alii.

Digitized by Google